This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

378
S0
R67
A 468929

Robolsky - Sallustius ...



1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

BOUND
NOV 21 1927
UNI ICH.
LIBRARY

878
SO
R67

SALLUSTIUS

IN CONFORMANDA ORATIONE QUO IURE THUCYDIDIS EXEMPLUM SECUTUS ESSE EXISTIMETUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

PROPOSUIT

JOHANNES ROBOLSKI
POMERANUS.

HALIS SAXONUM.

A. MDCCCLXXXI.

878
S o
R67

Latin
Harr.
6-4-76
12973

De Sallustio Thucydidis imitatore cum multa exstent veterum testimonia, miror quod nostra demum aetate atque a perpaucis tantum accuratius perquiri coeptum sit, quibus in rebus haec imitatio cernatur, inprimis quatenus in oratione conformanda Sallustius ab auctore Attico pendeat. Namque vetera illa quidem iudicia pertinere puto ad imitationem, quatenus inest in arte historica (Vellei. 2, 36, 2. Quintil. 10, 1, 101) vel in arte rhetorica (Seneca Suas. p. 35, 11) vel in transferendis quibusdam sententiis (Sueton. gramm. 10) vel in brevitatis studio (Senec. Controv. 8, 13, p. 249). De rebus grammaticis autem et de genere dicendi ad Thucydidis exemplum conformato haec tantum iudicia legimus, Quintil. 9, 3, 17: „ex Graeco vero translata vel Sallustii plurima, quale est: vulgus amat fieri". Quintil. 10, 2, 17: „Attici praecisis conclusionibus obscuri Sallustium atque Thucydidem superant". His verbis exprimi perspicuum est, ambos scriptores praecisas illas conclusiones amasse. Utrum recte hac in re comparari possint, infra videbimus. Quae vero essent illa translata ex Graeco plurima (quibus verbis Quintilianum inprimis constructiones verborum significare voluisse exemplum, quod laudat, demonstrat) nemo adhuc accuratius investigavit nisi Poppo (in prolegomen. I, p. 372—81; IV, p. 51—53).

Etenim Dolega,[1]) qui in libro suo diligentissime exposuit, non modo quas sententias transtulisset Sallustius e Graecorum scriptoribus, sed etiam quam rationem in imitandis illis secutus esset, non multa de rebus grammaticis verborumque construc-

[1]) „de Sallustio imitatore Thucydidis, Demosthenis aliorumque Graecorum". Vratislav. 1871.

tionibus dixit, perpauca autem Mollmannus.[2]) Neque plura dedit Delturius in libro, quo Sallustium Catonis aemulum fuisse Thucydidisque imitationem parvam vel nullam esse comprobare studuit. Reliqua sunt iudicia per commentarios editorum sparsa, Gerlachii, Herzogii, inprimis doctissimi Kritzii. Omnes autem hi viri mirum est quantopere dissentiant hac in re. Popponi enim si credimus, vix quemquam propius ad Graecos se applicuisse quam Sallustium putandum est. Quocum consentit Gerlachius, qui, etiamsi monet (III, p. 332) ne „imitatorum servo pecori Sallustii nomen adscribamus", in commentariis suis plurima ex Graeco fonte fluxisse demonstrat.

Contraria est Delturii sententia omnia ad antiquorum imitationem referentis. Mediam quandam viam Schultzius et Bruennertius tenuerunt, qui multa, quae Delturius contendit, ad rectum modum revocarunt. Multa igitur esse in oratione Sallustiana non mirum est, quae utrum ex Graecorum usu petita sint necne, valde dissentiunt viri docti. Quibus in rebus diiudicandis si quando erraverim, veniam peto.

Omnino arduum opus me ingredi atque plenum periculosae aleae non ignoro. Neque enim ita iniuste Poppo mea quidem sententia contendit (I, 1, p. 372) „Latinos fere omnes furore quodam Graeca loquendi genera in patriam linguam inferendi abreptos esse", ita ut saepe in Sallustiana oratione quid sit nativum, quid antiquitatis imitationi, quid Graecis debeatur, non facile possit distingui. Etiamsi enim egregii illi viri, qui de archaismis Sallustii scripserunt, Catonis Sisennae aliorumque orationem diligenter perquisiverunt, tamen non obliviscendum est, ex fragmentis illis numquam historicorum priscorum rationem dicendi plane ac satis dilucide illustrari posse.

Multo praeterea facilius munus suscepissem, si Historias plane cognoscere atque ex iis Sallustianam orationem illustrare licuisset. Etenim quod Kritzius in epistola critica ad Wuestemannum data p. 22 contendit „laudem aemulationis Thucydidis

---

[2]) in programmate gymnasii Regiomontani 1878: „quatenus Sal. se ad exemplum Graecorum conformaverit".

ex Historiis magis quam Catilina et Iugurtha partam esse" etiam ad genus dicendi pertinere puto. Multo uberiora suppetivissent exempla imitationis Graecorum quam ea, quae nunc nobis sunt colligenda. Quamquam eorum non parvus est numerus. Accuratius enim perlegenti satis frequenter occurrunt non modo constructiones similes Graecis structuris sed etiam eae, quae nisi ex comparatione Graecae linguae intelligi non possint, ut recte eum Dolega „quasi pro praenuntio Latinitatis argenteae" habuerit dicendumque fortasse sit de Sallustio, quod Draegerus in Syntaxi historica ling. Lat. proleg. p. 16. de poetis illius aetatis dixit: *„Alle sind aber von ihren griechischen Mustern abhängig; daher kommt es, dass von nun ab eine grosse Menge von Gräcismen, namentlich syntaktischer Art, in die Sprache eindringt. Bei Livius hat sie neuerdings Kühnast in umfassender Weise nachgewiesen, und die gesammte silberne Latinität ist von ihnen angefüllt und modificirt, freilich in verschiedenem Grade"*.

Quo iure hoc etiam de Sallustio dici possit, nunc perquirere conabimur. Praemonere autem hoc liceat: Quamquam multa nobis occurrent, quae non modo ex Thucydide sed etiam ax alio quovis Graecorum petere scriptor poterat, tamen omnia haec ad solum Thucydidem referre non dubitabimus, cum et Sallustium hunc sibi scriptorem prae aliis elegisse ut exemplum constet et talia plerumque aliis sustineantur, quorum origo Thucydidea non potest esse dubia.

Iam recenseamus singulas Sallustianae orationis partes atque incipiamus a constructione κατὰ σύνεσιν quae vocatur inprimisque ea, quae in coniunctione subiecti cum praedicato cernitur.

Qua constructione quamquam Sallustium audacius paulo usum esse notum est, tamen non tantum ab usu aetatis suae recessit ut multa ad imitationem quandam referri possint, immo vero tam multa exempla huius licentiae in Caesaris, Ciceronis, Livii libris inveniuntur, ut haec non minus naturae linguae Latinae quam Graecae insita esse videantur. Namque ut de substantivis collectivis, quae vocantur, cum plurali numero coniunctis dicam, nihil est hac in re, quod solius Sallustii

proprium aut omnino memorabile sit aut ex Graecorum imitatione profectum esse videatur, cum apud Thucydidem multo latius patere hunc collectivorum usum notum sit.

Maiore licentia Sallustius post collectiva in eodem enuntiato numerum etiam variat ut Cat. 7, 4: juventus, simulac — erat, discebat — habebant 23, 6: nobilitas aestuabat — credebant. Haec licentia, cuius nescio an nulla apud Ciceronem et Caesarem exstent similia exempla, communis ei cum Thucydide est amatore orationis variatae. Compara enim locos 5, 31: ἦλθε — πρεσβεία εὐθὺς καὶ ἐποιήσαντο 1, 13: ἐξηρτύετο ἡ Ἑλλὰς — καὶ ἀντείχοντο 3, 72: ὁ δῆμος — ἰ ζρύθη καὶ — εἶχον 2, 21: ἀνήρεθιστο ἡ πόλις καὶ — εἶχον καὶ ἐμέμνητο 2, 83: τὸ ναυτικὸν — οὐ παραγίγνεται ἀλλ' ἠναγκάσθησαν.

Ambo consentiunt in ea constructione, qua duobus substantivis praepositione Cum vel καὶ copulatis pluralis numerus subiungitur, ut Iug. 38, 6: cohors una Ligurum cum duabus turmis transiere 101, 5: Bochus cum peditibus — aciem invadunt Cat. 43, 1: Lentulus cum ceteris — constituerant.

Quem pluralis numeri usum etsi Badstuebnero, qui Madvigii et Zumptii auctoritate nititur, concedo etiam apud alios scriptores haud infrequentem esse, tamen recte Graeterus (in programm.: *Ueber die Synesis. Münster 1855, p. 9*) exemplis ex Cicerone allatis demonstravit, singularem numerum apud optimos auctores usitatum esse. Neque quod Zumptius §. 375 in adnot. 3 observavit: pluralem usurpari, si subiectum interposito quodam enuntiato a verbo separatum esset, in Sallustium quadrat. Nam in Historiis legitur 2, 96, 6: dux hostium cum urbe Valentia et exercitu deleti.

Quare non iniuria hanc constructionem inter eas numerandam esse censeo, quae apertius auctoritatem orationis Thucydideae prodant, ex quo luculentissimum huius rei exemplum invenitur 3, 109: Δημοσθένης μετὰ τῶν στρατηγῶν σπένδονται. Omnino apud eum memorabiles eos locos esse Poppo (I, 1, p. 96) monet, „in quibus aliquis una cum aliis quidpiam fecisse dicatur." Ibi enim scriptorem saepe singularis et pluralis usum variare, ut 1, 91. 8, 56 et alibi.

Mutatur etiam apud Sallustium numerus in enuntiatis secundariis, ut Iug. 15: Iugurtham ab senatu petere ne — putarent 30: populum — monere ne — desererent 78: eius civitatis legum cultusque pleraque Sidonica, quae — retinebant. — His exemplis unum adnumerandum est, quod luculentius est, quam ut imitationis Graecorum in mentem nobis venire non possit. Legitur Iug. 102, 6: „populo Romano — melius visum amicos quam servos quaerere, tutius rati" etc. Quo loco etiamsi Kritzium et Dietschium sequi vellemus, qui legunt „tutiusque rati", inesset structura per synesin permutatioque constructionis, qua haud scio an apud Sallustium inveniatur audacior. Equidem quid de discrepantia lectionis „tutius rati" et „tutiusque rati" sentiam quamque ob rem non verear pro certo affirmare, hoc loco Sallustium orationem suam ad Thucydideum exemplum formasse, infra exponam, ubi de variata Sallustii oratione dicam. Sufficiat hoc loco monere, quod iam Badstuebnerus observavit, amare scriptorem Atticum hanc abruptam structuram post vocem „ἔδοξεν". Frequentissime porro Sallustius ea licentia utitur, ut ad singularem numerum substantivi referat pluralem pronominum relativorum vel demonstrativorum. Quod syneseos genus etiamsi apud Caesarem, Livium aliosque passim invenitur, nemo tam frequenter adhibere videtur quam Sallustius. Scribit Iug. 13, 8: nobilitatis — quorum pars Iug. 14: familia nostra — quorum progeniem Cat. 17, 7: si coniuratio valuisset, facile apud eos principem se fore 16, 1: iuventutem edocebat, ex illis etc. cf. Cat. 39. Iug. 28. 33. 91. 95. Simillime Thucydides pronominibus utitur 3, 4. 6, 31. 6, 80. 7, 23, sexcentis aliis locis.

Sed ne omnia, quae aliquam prae se ferunt similitudinem Graecae structurae, temere ad Thucydidem referre videamur, insignius paulo huius similitudinis exemplum afferamus, quod legitur Cat. 56, 5: „servitia, cuius — magnae copiae concurrebant". Cui permirae structurae apud Latinos unus tantum Livianus locus comparari potest: 42, 87 „bona — quidquid eius recuperari possit". Nam quae Kritzius affert exempla, minus in hunc locum quadrare puto. Supplet enim ad vocem

„cuius“ notionem „rei“, quam vocem pauci codices exhibent. Optimis tamen libris Priscianique testimonio lectio „cuius magnae copiae“ munita est. Mea quidem sententia pertinet hic locus ad multiplicem usum pronominis relativi, cuius in structura vulgaris usus fines Sallustium transgressum esse notissimum est, quique ex Graecorum tantum more illustrari potest. Et assentior Gerlachio, Jacobsio, Badstuebnero, qui rectissime Thucydideum locum laudant 1, 80, 3: ἀλλὰ τοῖς χρήμασιν; ἀλλὰ πολλῷ ἔτι πλέον τούτου ἐλλείπομεν.

Qui usus neutrius generis pronominum quam late pateat apud Thucydidem, nemo qui accurate eum perlegerit, ignorabit verique simillimum est, Sallustium primum inter historicos Latinos hanc licentiam ex studio Attici scriptoris arripuisse. Atque ad illustrandum hunc usum conferas velim locum 7, 48: καὶ μὴ χρήμασιν, ᾧ πολὺ κρείσσους εἰσι, νικηθέντας ἀπιέναι. Quamvis haec lectio tantum a Scholiasta codicis Graeviani et codice Stephani servata sit et plerique scribant: ὡς, tamen facere non possum quin Popponis et Bekkeri auctoritatem sequar, qui vocem ᾧ tuentur. Etenim neutrum pronominis relativi usitatissimum aptissimumque est indoli orationis Thucydideae.

Simili ratione neutrum pronominis libere usurpatur in iis quae leguntur Iug. 100, 4: „diffidentia futuri quae imperavisset“ nisi quod hic pluralis pronominis refertur ad singularem. Frustra in his emendandis elaboraverunt docti viri. Kritzius lectionem accepit (Ed. I.): „futurum quae“ testimonio Gellii (1, 7) nisus, qui tradit, infinitivum „futurum“ (= fore) apud antiquos ita usurpatum esse ut hoc verbum „neque numeris neque generibus praeserviens sed liberum undique et impromiscuum esset“. Dietschius autem scribens „futura quae“ putat, se liberasse Sallustium obprobrio usus ex obsoleta antiquitate repetiti (vid. Comment. p. 130). Neque vero a lectione, quam plurimi codices praebent, recedendum existimo sed explicandam eam esse ex duplici Graecae consuetudinis imitatione. Primum quod pro accusativo c. inf. genetivus participii „futuri“ pendet ex substantivo „diffidentia“, sicut apud Thucydidem (3, 75, 3: ἀπιστίᾳ τοῦ μὴ ξυμπλεῖν et alibi) genetivus infinitivi, deinde quod

pluralis „quae“ liberius coniunctum est cum singulari, quod comparari potest cum vocibus ἔστιν ἅ, ἔστιν οἵ.

Omnino in usu huius pronominis quantopere ambo scriptores consentiant, iam monuit Poppo (I, 1, p. 374), qui observavit, amare eos usum pronominum, adiectivorum, participiorum neutrius generis post substantiva masculina et feminina, ubi rei indefinitae vel generis solum notio spectaretur. Cuius rei permulta ex utroque scriptore exempla afferri possunt neque quae in his structuris inest similitudo fortuito nata esse videtur. Ut nonnulla paulo insigniora exempla afferam, legitur Cat. 3, 4: audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur 5, 7: inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque artibus auxerat 10, 3: primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit; ea fuere. 31, 1: ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat cf. Iug. 41, 3. 85, 30.

Talia apud Graecos passim inveniuntur, sed apud neminem frequentius quam apud Thucydidem cf. 3, 97: διώξεις τε καὶ ὑπαγωγαί, ἐνοῖς ἀμφοτέροις 6, 69 τροπὰς — οἷα 5, 27 σπονδαὶ ἐγένοντο καὶ ὕστερον αἱ συμμαχίαι καὶ αἱ — πρεσβεῖαι αἵπερ ἐκλήθησαν ἐς αὐτά 6, 10. 6, 96. 6, 72. 2, 48.

Huc quoque ea pertinent, quae leguntur Iug. 41, 1: „otio atque abundantia earum rerum, quae prima mortales discunt“ quibus in expliclandis interpretes dissentiunt. Kritzius enim censet „quae prima“ ita dictum esse, ut relativum tantummodo ad sensum praecedentium verborum, non ad genus grammaticum respiciat. Quae licentia natura generalium notionum nititur. Aliter Badstuebnerus, qui „prima“ pro substantivo habens ita explicat: „quae constructio ad eam dicendi rationem spectat, qua, quando vocabulum aliquod enuntiationis praecedentis vel tota praecedens enuntiatio ipsa substantivo quodam cum verbo esse vel dicere, vocare etc. accuratius definiatur, pronomen ad sequens substantivum referri soleat, ita ut ab eo nec genere nec numero discrepet“ (cf. Zumpt. §. 372).

Quoquo modo res se habet, facile omnes Ruddimanno (cf. II p. 20) concedent, hanc structuram vere Graecam esse,

quamvis ex quovis alio scriptore Graeco atque ex Thucydide petere eam Sallustio licuerit. Laudat autem Badstuebnerus hos locos: Iug. 75, 6: ex flumine, quam proximam — aquam esse supra diximus 18, 11: „ea loca, quae — Numidia apellatur". Sed in aliis quoque pronominibus Sallustius utitur Graecorum more attrahendi pronominis ad substantiva sequentia, ut Cat. 7, 6: eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant 20, 4: idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est cf. Cat 51, 14.

Neque vero hunc pronominum usum Sallustii peculiarem esse contenderim, cum talia apud omnes fere scriptores aetatis eius inveniantur, sed quod saepe in hac quaestione nobis dicendum erit, hic quoque dixerim, ex eo, quod Sallustius amantior quam alii talium constructionum fuerit, conici posse, ex Graecorum studio has eum petivisse. Nam non casu, sed consulto scriptorem his structuris usum esse, iam Cortiius animadvertisse videtur, qui ad locum supra laudatum exponit in verbis illis „eas divitias, eam famam" etc. conspici Sallustianum illud concisum genus dicendi. Nam haec dicta esse apparet pro „eas, quas memoravi, res putabant esse divitias" etc.

De reliquis pronominibus, quae ad syneseos usum pertinent, nihil fere memorandum videtur, nisi frequentior neutrius generis usus ad Graecam consuetudinem referendus est, id quod Poppo iudicavit, qui attulit locum Cat. 1, 2: „sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est — alterum nobis cum dis, alterum cum belluis commune est". Addere potuit Cat. 1, 6: vine corporis corporis an virtute animi. — Ita utrumque per se indigens alterum alterius auxilio eget. Sane peculiare Sallustio esse videtur, neutrum genus ad substantiva diversi generis referre, neque vero ex his singulis exemplis sed potius ex tota ratione utendi neutro genere comprobari potest, orationem Sallustianam hac in re ad Graecorum exemplum conformatam esse. Inprimis adiectiva et participia hoc genere posita huc pertinent, quae cum nominibus etiam feminini generis Sallustius coniungit. Quae structura certe magis Graeca est, nam regulam esse constat apud Latinos ut, si plura nomina

eiusdem generis sunt, praedicata eodem, quo nomina, genere ponantur.

Contra vide locos Sallustianos Iug. 38, 8: nox atque praeda castrorum hostes remorata sunt 52, 4: plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt 68, 1: ubi ira et aegritudo permixta sunt Cat. 20, 2: ni virtus fidesque spectata mihi forent.

Hoc in usu propterea Sallustium Thucydidis maxime exemplum secutum esse putamus, quod hunc prae ceteris neutrius generis adiectivorum et participiorum amantem fuisse notissimum est, ita ut Graecorum ipsorum licentiae fines aliquoties transgrederetur saepiusque ad unum quoque vocabulum feminini generis neutrum referret cf. 1, 10, 1. 1, 95, 3. 3, 37, 1. 3, 29, 3. 5, 71, 1 et Poppon. I, 1, p. 105—106.

Sed ut ad coniunctionem subiecti cum praedicato, a qua initium huius quaestionis cepimus, revertamur, etiam verbum ad praedicatum accomodatum Poppo in Graecismis ex Thucydide petitis numerat. Quae quidem structura frequens est apud utrumque scriptorem cf. locum supra laudatum Iug. 18, 11: „ea loca, quae — Numidia appellatur“ (ubi Kritzium conferas) et inprimis in enuntiatis comparativis, ubi attractione verbum ad rem, quae comparationi inservit, refertur, ut Cat. 25, 3: Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit. Iug. 50, 6: Sin opportunior fugae collis quam campi fuerant 74, 3: magis pedes quam arma tutata sunt (quibus duobus locis lectio dubia est) cf. Thucydid. 4, 102. 3, 112. 4, 26. 8, 9. 3, 93. 3, 114.

Tamen non recte hanc attractionem vel accommodationem verbi ad praedicatum in Graecismis a Poppone numerari ex eo apparet, quod Zumptius docet §. 369, saepius fortasse verbum numero praedicati positum inveniri et regulam esse, ut verbum ad proximum substantivum referatur, sive hoc subiectum sive praedicatum sit.

Restat ut de adverbiis cum verbo Esse coniunctis dicam. Notum est Sallustium tali modo usurpare adverbium „frustra“ Iug. 7, 6. 61, 1. 73, 7. 93, 1. 112, 2. 85, 6. Hist. 3, 61, 9.

Latissime autem hic adverbiorum usus apud scriptorem patet, qua de re vid. Badstuebner. p. 11—12. Gerlach. III, p. 314. Kritz. ad Cat. 58 (Ed. I). Fabri ad Iug. 85, 6. Ea, quae frequentissime inveniuntur, enumerare hic sufficiat: tutius Iug. 14, 11 (cf. Cicer. ad Attic. 14, 22) laxius, licentius 87, 4. facilius 94, 1. abunde Cat. 21, 1. 58, 9, Iug. 63, 2. proxume Iug. 19, 4. 18, 11 (aliter tamen Kritzius) propius Cat. 11, 1 (cf. Kritzium) obviam Hist. 2, 74. post Cat. 23, 7 contra Iug. 85, 22.

Multi doctissimique viri negaverunt, id quod Poppo (I, 374) pro certo affirmavit, hunc usum ex Thucydideo sermone in Sallustianum translatum esse, Delturius, Schultzius, Bruennertius, qui scriptorem hac in re ad Catonis exemplum regressum esse contenderunt (vid. Bruennert. p. 9—10). Frequentem quidem hunc usum apud Graecum scriptorem esse, nonnulla etiam audaciora hac in re inveniri nemo negabit, ut 4, 10: μὴ ῥᾳδίως αὐτῷ πάλιν οὔσης τῆς ἀναχωρήσεως 4, 68: ἀσφάλεια δὲ αὐτοῖς μᾶλλον ἐγίγνετο 2, 14: χαλεπῶς αὐτοῖς ἡ ἀνάστασις ἐγίγνετο 7, 84: οἰόμενοι ῥᾷόν τι σφίσιν ἔσεσθαι (ubi Kruegerus: ῥᾷον *halte ich für das Adverbium.*) — Cum autem inter Latinos apud Catonem iam talia inveniantur (ut „sero esse, impune esse"), non habemus, quod non cum illis viris in archaismis hunc dicendi morem numeremus. Nihilominus nonnulla sunt, quae hac ratione explicari non possunt luculentiusque originem Graecam produnt. Coniungit enim Sallustius praepositiones quasdam adverbiali sensu non modo cum verbo Esse sed etiam cum substantivis. Hoc ab optimis scriptoribus fieri non ignoro (cf. Zumpt. §. 323), sed conferas velim ea quae leguntur Cat. 23, 6: invidia atque superbia post fuere Hist. I, 41, 6: supplicia in post futuros (= ἐς τοὺς ἔπειτα γενησομένους) Iug. 76: „multo ante labore" cum Thucydideis dictionibus 1, 3: Ὅμηρος πολλῷ ὕστερον — γενόμενος 3, 114: ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον 6, 85: ἡ αὐτίκα δουλεία aliisque huiusmodi, quae apud omnes Graecos inveniuntur, concedes Gerlachio, plane haec ad Graecorum morem esse conformata.

Iam transeamus ad casuum apud Sallustium usum primumque accusativi.

Atque hic quidem memorandum videtur, saepissime scriptorem solere verbis, quibuscum alias accusativus coniungitur, absolute uti, quando obiectum facile suppleri potest. Recte Dolega refellit Vechneri opinionem, qui omnia haec ex Graecorum usu illustrat, apud quos hunc morem multo latius patere notissimum est. Frequentius tamen et insolentius quam alius quisquam Latinorum Sallustius hac libertate utitur. Ita usurpantur: „invadere", quod idem valere atque vernaculum „*überhandnehmen*" iam Cortius monuit, Cat. 2, 5. 10,6. Iug. 41, 9. „incssere" Cat. 7, 3. Iug. 13, 7. 41, 3. Cat. 13, 3. „degustare" Cat. 22, 2. „mittere".

Haec omnia mere Latina sunt neque, ut forsan quispiam putarit, „Invadere" et „incessere" comparanda sunt cum Graecis verbis a Vechnero allatis. Cf. Draeger. I, p. 370: „*Dies* (i. e. omissio accusativi) *geschieht in beiden alten Sprachen viel häufiger als in den neueren und ist dem Charakter des Lateins so angemessen, dass man eine Nachahmung des Griechischen nicht anzunehmen braucht*".

Notandus vero est usus verbi „obtinere". Cf. Iug. 80, 7: „nulla pro socia obtinet" ubi significat: *eine Stellung behaupten* (cf. Kritzium). Apud nullum Sallustianae aetatis scriptorem tali sensu hoc verbum absolute usurpari memini. Apud Livium demum verbum „tenere" similiter adhibetur. Quare conformatum hunc usum ad Graecum κατέχειν puto, quod tali vi apud Thucydidem invenitur 4,32. 8, 28 8, 100. Neque dubitandum esse arbitror, quin cum Ursino et Kritzio legendum sit Cat. 14, 7: „fama, quae plerumque obtinet" pro „plerosque", ut apud Atticum scriptorem simillime saepius legitur: κατέχει λόγος cf. 1, 10. 3, 89.

Rectius etiam ad Graecos rettuleris frequentem reflexivum verborum transitivorum usum, ut verbi „augere" Hist. 1, 48, 6: ‚ignoscendo populi Romani magnitudinem a u x i s s e", ubi Vechnerus ex Plutarcho affert: „ἐπέτεινεν ὁ λοιμός", quamquam iam ante Sallustium hoc verbum ita usurpatum esse videtur, ut in Catonis Originibus teste Gellio (18, 12) legebatur: „eo res eorum a u x i t".

Luculentius reflexivum sensum demonstrant „vortere“ et „convortere“, ut Cat. 6, 7: „regium imperium — in superbiam dominationemque convortit“ ubi lectio „convortit“ a compluribus in dubium vocata est, sed videtur conformata esse ad verba Thucydidea 3, 39: εἴωθε δὲ τῶν πόλεων, αἷς ἂν— εὐπραξία ἔλθῃ, εἰς ὕβριν τρέπειν, quae Scholiasta et Blomfieldius (vid. adnot. Dukeri) explicaverunt supplendo pronomine ἑαυτὰς ad τρέπειν, quamquam aliter explicari possunt. Totum autem hoc caput (Cat. 6) refertum esse Graecismis et sententiis Thucydideis iam diu viri docti perspexerunt cf. §. 3 „sicuti pleraque mortalium habentur“ (=ὡς ἔχει τὰ πλεῖστα τῶν θνητῶν), §. 5 „magisque dandis quam accipiundis beneficiis amicitias parabant“ (= Thuc. 240: οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους) Quare usus verbi „convortere“ reflexivus fortasse ex hac imitatione explicandus est. Legitur praeterea Convortere Iug. 20, 4. 101, 6 fragm. inc. 8. Vortere: Cat. 32, 27. Iug. 85, 9.

Quod autem etiam apud alios scriptores, ut Livium, Tacitum, hoc verbum ita usurpatum invenitur, non refellit Graecam originem huius structurae, immo Sallustius si non in sermonem pedestrem introduxisse hunc usum at tamen primus frequentasse videtur, cum ante eum magis poetarum proprius fuerit.

De reflexivo verbi Mutare usu apud Sallustium magna est editorum dissensio. Legebatur Iug. 38 inde a Cortio a plerisque: „qui mortis metu mutabant“, ubi tanta librorum dissensio est, ut vix usquam maiores turbas dederint. Lectionem „mutabant“ sagacissime Kritzius (Ed. I) defendit, cum qua comparat Vechnerus vocem Thucydideam (2, 61): ὑμεῖς δὲ μετεβάλλετε.'

Ceterum huius usus exempla inveniuntur apud quemvis alium scriptorem Latinum, rarum autem eum esse apud eos, qui ante Sallustium scripserunt, ea comprobant, quae Vechnerus et Kritzius attulerunt.

Porro hoc loco nominandum est verbum Temperare, quod legitur Iug. 85, 9: „illis difficile est, in potestatibus temperare“ cf. Cat. 11, 8, ubi Kritzius admonuit, „victoriae temperare“ dicta esse pro „sibi temperare in victoria“.

Absolute etiam ponitur a Sallustio, ut Heusingerus adnotavit (Vechner. Hellen. p. 76—78), verbum Gignere Iug. 79, 6: „loca aequalia et nuda gignentium" sensu satis memorabili, quod usque ad Kritzium a plerisque, inprimis a Gerlachio et Poppone ad exemplum Graeci verbi φύεσθαι vel γίγνεσθαι usurpatum esse existimabatur. Doctissimus autem ille vir luculentissime demonstrat, quae Sallustius Gignentia dicat, cum ita comparata sint, ut alia eiusdem generis ex sese gignant, quae nata suapte vi crescant, augeantur, et rursus gignendi facultatem habeant, ea significari, quae vocamus „*organische Körper*".

Quae cum ita sint, hunc usum in Graecismis numerandum non censeo.

Quod Heusingerus in verbis activis passive usurpatis etiam Velle numerat, falsa Palmerii coniectura nititur, qui legebat Iug. 73: „volentia de ambobus acceperant", sed nihil est, cur a lectione omnibus codicibus firmata „volenti animo" recedamus. — Ceterum hoc participium legitur Hist. 4, 31: „volentia plebei facturus videbatur" ubi non passive sed adiectivi loco et praegnanti sensu (= bene volentia, grata) positum esse apparet.

Vides quam pauca his in rebus ad Graecoc referenda sint quantumque absit, ut, ubicunque hoc fieri posse videtur, certissime comprobare possimus.

Nonnulla exempla accusativi graeci, qui vocatur, ex Sallustio laudantur in Vechneri libro, quod constructionis genus adeo transmarinum et Graecum esse putat, ut apud Latinos non nisi a poetis usurpetur (p. 300). Certe tales structurae apud historicos inde a Livio demum frequentes esse coeperunt, exceptis particulis Cetera, Alia etc., quae in usum pedestris sermonis iam ante Livium abierant, quamquam Cicero pro his „in ceteris, aliis in rebus" vel similibus vocibus plerumque utitur, ita ut apud Sallustium talia si non poetice at tamen insolenter dicta esse videantur. Cf. hist. 3, 74: Dedecores inultique terga ab hostibus caedebantur Iug. 19, 7: praeter nomen cetera populi Romani ignarus hist. 5, 6: cetera egregius. fragm. inc. 113: sanctus alia 18: Germani

cetera (ut coniecit Dietschius) intectum renonibus corpus tegebant. hist. 3, 7: „Sed Pompeius — facta consultaque eius aemulus erat“ (ut plerique editores scripserunt), ubi libri „aemulatus erat“ exhibent, quod accepit Kritzius, refellit Dietschius, cui scribendum visum est „aemulator“. Hanc coniunctionem substantivi a verbo derivati cum accusativo — insignem certe Graecismum — excusare studet exemplis Plautinis cf. Amphitruo. 519: „quid tibi hanc curatiost rem aut muttitio?“ Asin. 5, 2, 70. Aul. 3, 2, 9. Truc. 2, 7, 6. — Equidem „aemulus“ scriptum esse velim, quod apud Nonium in lemmate est, sub quo hunc locum exhibet.

Ut exemplum accusativi etymologici laudat Heusingerus (p. 319) vocem „facinora facere“ quae saepissime apud Sallustium legitur (Cat. 7, 6. 19, 5. 11, 4. 51, 6. 53, 2. Iug. 5, 4), apud Caesarem numquam, apud Ciceronem semel (de fin. 2, 29).

In his omnibus rebus quantum scriptor Graecorum sermoni debuerit, quantum sermoni antiquorum Latinorum inprimisque poetarum, difficile est diiudicatu, cum eorum, qui ante Caesarem Sallustiumque floruerunt, historicorum usus dicendi non satis illustrari possit cumque tota lingua Latina illis saeculis tam multa ex Graecis traxerit, ut quid ex his transtulerit, quid ei cum illa lingua a principio commune fuerit, saepe discerni non possit.

Neque figurae accusativi graeci, etymologici etc. apud Sallustium tam frequentes sunt, ut permirae aut insignes videri possint certamque Graecae consuetudinis dicendi imitationem prae se ferant, quod in quibusdam structuris, quae ad dativi casus usum pertinent, pro certo affirmare possumus. Nonnulla enim hic inveniuntur, quae iam multi doctissimique viri plane Graeca esse perspexerunt quaeque accuratius paulo me illustrare posse ex Thucydideo usu spero.

Dicendum enim primum est de loco Iug. 84, 3: „neque plebi militia volenti putabatur“ ubi structura Latinis aliena magnam codicum discrepantiam genuit, quae tollitur Prisciani testimonio ad hunc locum adnotantis (18, p. 1169): „Illi (i. e. Graeci) βουλομένοις ἐστὶν ἡμῖν — Sallustius in Iugurthino: neque

plebei militia volenti putabatur". Kritzius putat Priscianum respexisse Demosthenis locum pro Cor. p. 229 (ed. Reiske). Sed potuit laudare quemvis alium Graecorum, quibus cum omnibus hoc dicendi genus usitatum est tum nemini usitatius quam Thucydidi, ita ut hac in re eum Romano scriptori imitationi fuisse pro certo affirmare possimus. Invenitur enim non solum vox „βουλομένῳ εἶναι" quinquies (2, 3. 4, 80. 4, 85. 7, 35. 8, 92) sed etiam similia saepissime, 2, 60: προσδεχομένῳ μοι — γεγένηται 6, 46: τῷ μὲν Νικίᾳ, προσδεχομένῳ ἦν 4, 85: ἀσμένοις ἡμῖν ἀφῖγμαι 5, 111: τούτων μὲν καὶ πεπειραμένοις ἂν τιγένοιτο καὶ ὑμῖν καὶ οὐκ. ἀνεπιστήμοσιν ὅτι — — ubi Goellerus: „dictum est ut illud βουλομένῳ μοι γίγνεται" cf. Math. libr. grammat. p. 712.

Hunc Graecismum Sallustius in sermonem Latinum introduxisse constat (cf. Draeger I, p. 402) et quamquam praeter eum locum, quem laudavimus, semel tantum apud eum invenitur (Iug. 100, 4: uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset), saepius eo usum esse in Historiis eum suspicamur, cum etiam ex aliis vocibus (ut „volenti animo" „volentia") appareat, eum participii verbi „velle" amantissimum fuisse. Ceterum quantum haec structura a consuetudine Latini sermonis recedat, ex eo intelligi potest, quod perpauci eam imitari conati sunt. Nam apud Livium Graecarum constructionum amantissimum semel tantum invenitur (21, 50, 10: quibusdam volentibus — fore), apud Tacitum, qui utrumque, et Sallustium et Thucydidem imitatus est, ter (Annal. I, 59, 1. Hist. III, 43. Agric. 18). Ex scriptoribus posterioris aetatis Macrobius tantum eam adhibet (1, 7. 2, 3. 7, 6). Perversissime autem a Cortio aliisque cum hac dictione comparatum esse locum qui exstat Iug. 73, 3: („volenti animo de ambobus acceperant") iam Kritzius monuit. Dativum enim nullo modo hic explicari posse quisque videt.

Ceterum si de natura et vi huius generis dicendi „volenti esse" etc. quaerere volumus, assentiendum est Buttmanno, qui hoc nihil aliud nisi circumscriptionem simplicis verbi βούλεσθαι esse dicit reiciendamque puto longam illam difficilemque explicationem, quam dedit Kritzius (Edit. I). Cumque haec dictio

et gravior sit quam simplex verbum et satis brevis, quod Sallustio inprimis placuerit, non mirandum est. — Alter qui ad Graecum usum Dativi pertinet locus, multum ab editoribus nuperque a Dolega vexatus exstat Cat. 20, 3: „quia vobis eadem mihi bona malaque esse intellexi". Sic scripta haec sunt in Nazariano et Commeliano codice teste Grutero, in codice m (i. e. Monacensi 14777) teste Dietschio, in Vaticano quarto, scriptaque sunt a Cortio et sequentibus editoribus usque ad Kritzium, qui Cortium accusat, quod Crispum Graecismis ditaverit, affirmatque: „qui vero criticam via et ratione exercere didicerit, merito intemperanti hac inusitatas structuras inferendi libidine abstinebit". Vereor equidem ne arrogantiae videatnr auctoritatem doctissimi viri impugnare, sed mihi Kritzius non minore studio Crispum liberandi Graecismis abreptus esse videtur quam Cortius cupiditate ditandi. Quare quod omnibus viribus lectionem suam „eadem quae mihi" defendit, non miror, eo magis autem quod Dietschius eum secutus est, qui de praestantia codicis Nazariani ita iudicat (p. 6): „Quem librum quoniam Nipperdeius aliique viri docti tanti fecere, ut nisi is repertus foret, nullam spem esse dictitarent, scripturas a Grutero enotatas diligentissime exscripsi, ex quibus hoc mihi adparuit, optumum eum esse et dignissimum qui investigetur et denuo exploretur".

Utut res se habet, mihi quidem et brevitati Crispi et studio Graecorum imitandorum aptissima esse videtur structura nostrae lectionis, quam apud poetas etiam Sallustianae aetatis saepius inveniri notum est, cf. Horat. art. poet. 467. Ovid. Amor. I, 4, 1. Horat. Serm. I, 3, 122. Zumpt. §. 704. Vechner. Hellenol. p. 296—297.

Quod autem Dolega affirmat, reiciendam hanc lectionem esse, quia talis dativi usus apud poetas tantum et scriptores pedestres posterioris aetatis inveniatur, mihi non satis idoneum videtur ad tuendum illud Quae. Non paucae enim sunt constructiones in oratione Sallustiana, quae cum poetis tantum ei communes sunt, ut participia „doctus" et „paratus" cum infinitivo coniuncta aliaque. Mihi autem accuratius consideranti

totum locum („vobis eadem mihi bona malaque esse intellexi; nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est") suspicio movetur, hanc structuram fluxisse e simili sententia Thucydidea. Tertio enim in libro c. 64 Thebani loquntur de Plataeensibus firmissima amicitia cum Atheniensibus contra reliquos Boeotos coniunctis criminique iis dant, quod semper idem velint quod Athenienses et nolint quod reliqui Boeoti „ὑμεῖς δὲ τοῖς μὲν τ'αὐτὰ βουλόμενοι ποιεῖν, τοῖς δὲ ταναντία". Quam sententiam Sallustii animo obversatum esse cum veri simile sit (quamquam concedo similitudinem esse levem), nonne hunc usum pronominis (ταὐτὰ) cum dativo coniuncti fortuito in orationem Sallustianam receptam esse existimare possumus?

Memorandus etiam hic est usus verbi Decere cum dativo coniuncti cf. hist. 1, 98: „locum editiorem quam victoribus decebat capit". Quae structura cum apud neminem ex probis scriptoribus nisi apud Terentium semel, deinde apud Gellium et Apuleium, affectatores talium rerum, inveniatur, iam veteribus grammaticis, Arusiano (p. 233 ed. Lindem.) et Servio, qui hunc locum ad Verg. Aen. 8, 127 laudavit, mira videbatur explicandaque est mea quidem sententia cum Vechnero ex exemplo Graeci πρέπει μοι etc. Nam errare mihi Schultzius videtur, qui Ruddimanni auctoritate nisus contendit, hunc usum antiquis scriptoribus proprium fuisse. Excepto enim uno Terentio, qui hac in re a Graecis pendere videtur, ex omnibus, qui Sallustium antecedunt, scriptoribus nullum huius structurae exemplum inveneris. — Non omittendum puto locum, qui exstat Cat. 32: „insidias consuli maturent" ubi dativus pendet a substantivo „insidias", quod rarissime apud Latinos inveniri demonstrat Draegerus p. 408. Ceterum haec licentia a Graecis sumpta similis ei est, quam in accusativi usu Dietschius sese invenisse putat („facta aemulator") quaeque apud Thucydidem frequens est cf. 5, 5. 3, 89. 7, 50. 4, 23. 5, 46, ubi Dukerus adnotat, hoc genus dicendi in Latinis scriptoribus observari a doctis viris ad locum Sallustianum, qui eodem capite (c. 32) exstat: „quod neque insidiae consuli procedebant". Duobus locis ad vocem „insidiae consuli" suplendum

esse censet Gerlachius participium quoddam ut „paratae“ vel „structae“, Ramshornius in arte grammatica §. 116 A. I, 1 p. 198 participium verbi Esse sive Graecum ὤν, ut Liviano loco 3, 37, 5: „tribuniciam potestatem, munimentum libertati, repararent“. Quo quidem loco Kritzio assentiendum est, nihil impedire, quominus etiam „repararent“ ad interposita verba trahas. Quod autem idem vir doctissimus contendit, etiam in vocibus „insidiae consuli procedebant“ „insidias consuli maturent“ dativum pendere ex verbo cum substantivo coniuncto mirum est. Nam quomodo scriptor dicere potuit, insidias procedere ei, cuius in perniciem pararentur! Quare hoc loco dativum cum substantivo tantum coniungendum esse luculentissimum est idemque statuendum esse videtur in iis verbis, quae paulo infra sequuntur „insidias consuli maturent“.

Neque solum substantiva sed etiam adiectiva substantivorum vice fungentia cum dativo coniungit Sallustius, quod non minus ex Graecis transisse videtur, ut Iug. 89, 5: „praeter oppido propinqua“ (cf. Thucydidem 6, 2: ὅμοροι τοῖς Σικανοῖς 1, 15: πρὸς ὁμόρους τοὺς σφετέρους ἑκάστοτε) I. 40, 2: „huic rogationi partim conscii sibi — impedimenta parabant“. Ad constructionem huius adiectivi pertinet locus Cat. 21, 2: „alius alii tanti facinoris conscii“ ubi Kritzius adnotat: „Dativus, quo socii conscientiae non res quas conscientia complectitur intelleguntur, haud dubie ad Graecae consuetudinis exemplum revocandus est, pariter ut Idem cum dativo coniunctum“. Ex Thucydide comparari potest exemplum (6, 57): τινα τῶν ξυνωμοτῶν σφισι. —

Multa sunt in Genetivi usu Sallustiano, quatenus ad nostram quaestionem pertinet, quae digna sunt memoratu. Ac primum quidem dicendum est de genetivo, qui regitur a neutris adiectivorum. Huc pertinent exempla, quae exstant Iug. 48, 3: humi arido atque arenoso (quae lectio Prisciani et Arusiani testimoniis satis defenditur) Iug. 21, 2: diei extremum 90, 1: aestatis extremum 37, 4: in praerupti montis extremo 21, 2: plerumque noctis 93, 2: ad summum montis hist. 2, 77: diei medio (Thucyd: ἐν μέσῳ τῆς ἡμέρας) 102, 9: pleraque humanarum rerum hist. 2, 18: laeva moenium (Dietschius: laeva moenia)

hist. 2, 43: cava terrae hist. 4, 17: Italiae mollia ac plana hist. 3, 61, 4: certaminis advorsa. Haec fere sunt insigniora exempla ex iis, quae congessit Badstuebnerus (p. 24), quorum numerus facile augeri potest. Recte multi iam monuerunt, hunc loquendi usum poetis maxime iisque modo rerum gestarum scriptoribus, qui post Sallustium vixerunt, proprium fuisse. Etenim apud Ciceronem raro inveniri eum, apud Caesarem semel tantum, contra apud Livium et Tacitum sexcenties, demonstravit Draegerus (p. 417—418).

Qua ex re Crispum primum ex Latinis scriptoribus pedestris sermonis hunc usum frequentasse videmus atque commotum haud dubie exemplo Thucydidis, quem omnium Graecorum huius structurae amantissimum esse notum est. Ex quo si exempla afferre vellemus, unicuique paene earum, quas modo laudavimus, dictionum respodentia invenire possemus. Cum autem talia apud quemvis alium Graecorum inveniantur, liceat hoc loco mihi accuratius paulo disserere, qua ratione omnino neutra adiectivorum et participiorum usurpaverint ambo scriptores, ut, cur inprimis Attici scriptoris exemplum Crispo obversatum esse putem, appareat.

Atque substantive quidem usurpare neutra adiectivorum, omnibus scriptoribus usitatum est. Sed plerumque hoc fieri notum est, quando adiectiva nominativi vel accusativi casu ponuntur, rarius, quando regnantur praepositionibus, quod magis Graecorum proprium est. Quare apud optimos scriptores hic usus haud frequens est (cf. Draeger. p. 45), contra inde a Sallustio apud historicos frequentissimus esse coepit. Praeter ea, quae cum Genetivo coniuncta modo enumeravimus, haec fere sunt exempla: Cat. 8: ex vero Cat. 13: in propatulo 41: in incerto habere Iug. 38: in incerto erat Cat. 51, 12: in obscuro 52, 6: in dubio Iug. 73: in maius componere fragm. inc. 78: in deterius componere Iug. 92, 5 in immensum Cat. 15, 2: pro certo 52, 11: in extremo Iug. 5, 3: in aperto 22, 4: pro bono 30, 2: a vero bonoque 59, 2: ex occulto 85, 23: in occulto. — Multa ex his Thucydidem auctorem clarius demonstrat: „in maius, in deterius componere“ etc., quae ex

perspicua imitatione nata esse Poppo, Dolega, Mollmannus comprobarunt. Praeterea cum dictionibus „in incerto habuere“ „in incerto erat“ compares Thucyd. 1, 25: ἐν ἀπόρῳ εἴχοντο 3, 22: ἐν ἀπόρῳ ἦσαν, dictiones: „ex occulto, in occulto“ cum vocibus: ἐκ τοῦ ἀφανοῦς (4, 96) ἐν τῷ ἀφανεῖ (7, 75), „ex vero“ cum voce: ἀπὸ τοῦ ἀληθοῦς (6, 34), etc.

Ceterum non contendo Sallustium in unaquaque earum dictionum, quas attulimus, semper Atticum scriptorem respexisse (praesertim cum iam apud Plautum talia inveniantur: „in occulto“ etc.) sed morem illum Thucydideum neutra cum praepositionibus coniungendi multum valuisse apud Sallustium ad similes structuras formandas. De toto hoc genere dicendi conferas Draegerum velim (p. 47): *„Dass in allen diesen präpositionalen Verbindungen der Einfluss des Griechischen mitgewirkt hat, zeigen nicht blos Analogien, wie* ἐξ ἴσου, ἀγχιμόλου, ἐκ τοῦ φανεροῦ, ἐμφανοῦς, εὐθέος, *sondern es spricht auch dafür die grössere Ausdehnung des Gebrauches seit der klassischen Zeit.“*

Sed neutris adiectivorum et participiorum utitur Sallustius etiam ad abstracta significanda, ita ut et per omnes casus ea flectat et cum aliis etiam adiectivis coniungat (ut apud Thucydidem τὸ εὐπρεπὲς ἄσπονδον (1, 37) τὸ ξύνηθες ἥσυχον (6, 34) et alia cf. Poppon. I, 1, p. 168). Exempla exstant Cat. 38, Iug. 25: bonum publicum Cat. 37, hist. 1, 48, 13: malum publicum hist. 4, 34: boni aut mali publici gravis existumator. Iug. 91, 5: malum improvisum Iug. 67, 2: anceps malum Iug. 64, 4: commune malum. — Cat. 51, 32: malo (dativus) rei publicae (cf. Thucyd. 2, 13: ἐπὶ κακῷ τῆς πόλεως) Iug. 16, 1: quae vero gratiam anteferebat Iug. 35, 2: contra verum niti.

Ex participiis haec commemorare sufficiat: „inceptis favere“ (Cat. 17), quem dativi usum rarissimum esse contendit Draegerus (p. 41), „contra inceptum venire“ Iug. 25, 6. 31, 6. 83, 3, ubi recte Schultzius (p. 50) adnotat: „Equidem cur Sallustius hoc loco simplicitatem quandam prisci sermonis exprimere voluisse videatur, ut Gerlachius ad Iug. 25, 6 observavit, intelligere non possum. Brevitatem quandam pro „inceptis eius olviam ire“ profecto nemo infitiabitur. Sed

breviter in multis proprietatibus habendus est, quibus ab aliis scriptoribus differt, quapropter iam in antiquitate iure subtilissimus brevitatis artifex nominatur. — Cum vero Sallustius saepius hac structura usus sit, equidem eum Graecos imitatum esse senseo, qui participia substantivorum instar cum praepositionibus praecipue coniunxerunt."

Totum hunc morem abstracta exprimendi adiectivis et participiius neutro genere positis Ciceronem in sermonem Latinum recepisse non minus constat quam ambobus et Sallustio et Ciceroni Thucydidem huius rei auctorem exstitisse. Neque quod hi tres scriptores hoc in usu consentiunt, mirari possumus, si reputamus, quae condicio fuerit prosae orationis et Graecae et Romanae illorum aetate. Nimirum haec est abstractorum vis, ut mentes hominum a singulis ad universa revocent, quapropter magis philosophorum moris dicendi propria sunt. Cum autem Thucydides primus apud Atticos exstitisset, qui non modo res gestas narraret sed etiam causas originesque rerum aperiret, mores naturasque clarorum virorum, qui ei describendi erant, accuratissime depingeret orationibus inserendis, fieri non potuit, quin multa paene philosophorum more scriberet. Cumque ante eum pauci qui de rebus ad philosophiam pertinentibus prosa oratione scriberent exstitissent, multisque abstractis deessent significationes, coactus erat Thucydides eam libertatem sibi sumere quam vocat Dionysius (de Thucyd. judic. c. 24, 6): τὸ ποιητικὸν τῶν ὀνομάτων, ita ut et nova quaedam verba fingeret et aliis novum in modum uteretur, tamen ab ingenio linguae Graecae grammaticaeque artis praeceptis numquam recederet. Confer Classenium (in prolegom. edit I, p. 89): „*Wenn er vielleicht öfter als irgend ein anderer griechischer Schriftsteller die Neutra der Adjectiva und Participia statt der abstracten Substantiva gebraucht* (τὸ πιστὸν, τὸ βραδύ, τὸ τολμηρόν, τὸ ἐπιεικές, τὸ ξυνετόν, τὸ δεδιός, τὸ βουλόμενον, τὸ ὀργιζόμενον, τὸ ἐπιθυμοῦν, τὸ θυμούμενον *u. dergl. m.*), *so giebt sich darin nicht eine Manier oder Caprice, sondern das wohlbegründete Streben kund, die abstracte Allgemeinheit jener Begriffe für den jedesmal vorliegenden Fall in eine mehr greifbare Form zu kleiden, wobei doch immer durch das Neutrum diejenige Unbestimmtheit gelassen wird, die der Sache selbst zukommt*".

Similiter apud Latinos Cicero, quia primus de rebus ad philosophiam pertinentibus prosa oratione scripsit (si excipis Amafinium, Rabirium, Catium, scriptores obscuros) abstractis significationes invenire coactus est. Sallustius autem cum primus Romanorum historiam eadem qua Thucydides ratione scriberet, i. e. ut rerum causas accurate perquireret, mores clarorum virorum diligentissime describeret orationibus inserendis, quae continent meditationes de rerum rationibus hominumque consiliis, frequentissime abstracta adhibuit et adiectivis et substantivis expressa. Quare rectissime Lawsium iudicasse puto, qui dicit: „abstracta pro concretis adhibuit, quod magna cum diligentia in litteras Graecorum incubuit praecipueque dicendi genus Thucydidis imitatus est, quem viri doctissimi ampla vi mentem a singulis ad universa revocandi praeditum fuisse iudicarunt.“ Delturii et Gerlachii, qui frequentem apud Sallustium pluralem abstractorum in archaismis numerant, refutavit Schultzius p. 77 et 78. Ceterum confitendum est, hoc in usu abstractorum nihil inveniri, quod a Sallustio per libidinem mutatum vel a linguae latinae ingenio alienum videatur. Itaque hoc statuendum esse puto, frequentiam abstractorum apud Thucydidem aliquantum attulisse ad frequentem harum notionum usum apud Crispum, neque vero eum dedita opera singula imitatum esse. Quare exemplorum enumeratione abstineamus. Collegerunt Sallustiana, Lawsius et Draegerus, Thucydidea Poppo (I, 1, p. 258—259).

Sed revertamur, unde longius digressi sumus, ad Genetivi usum. Restat, ut hic de multis illis adiectivis Genetivum regentibus, quae ab optimis scriptoribus cum ablativo aut aliis casibus coniunguntur, pauca dicam. Legimus Iug. 79, 6: loca nuda gignentium 90, 1: ager aridus et frugum vacuus Cat. 5, 4: sui profusus 7, 6: pecuniae liberales erant. hist. 1, 106: egregius militiae. hist. 1, 115: libertatis insuetus hist. 2, 81: servitii insolitum hist. 4, 48: insolens vera accipiundi hist. 2, 91: frugum pabulique laetus ager. Hanc licentiam magis poetis consuetam esse, ut ait Badstuebnerus, et historicis inde a Sallustio demum usitatam fuisse

notum est. Num recte autem Poppo indicarit, hunc morem tales genetivos adiectivis addendi a Graecis derivatum esse, dubitari potest. Concedendum enim est Herzogio, qui de loco Cat. 33, 1: „plerique patriae sed omnes fama atque fortunis expertes sumus") disserens addit, tales structuras non modo ex imitatione Graecorum profectas, sed in ipsa casus natura positas esse.

Ex hac natura explicandum esse puto genetivum „animi" cum verbis vel adiectivis affectum significantibus coniunctum, de quo multi disputaverunt docti viri. Quidam existimarunt hanc formam ablativum antiquitus fuisse (cf. Draeger. p. 443), quod frustra comprobare studuerunt. Invenitur autem iam ante Ciceronem, apud Caesarem numquam, apud Sallustium frequentissime, sed tantum in historiis, ut „animi atrox" „firmatus animi" etc. Equidem hunc genetivum eam habere vim puto, ut res signeficetur, ad quam notio respiciat, quae in verbo vel adiectivo apposito inest (vernacule dicimus: *in Ansehung des Gemüths, der Gesinnung),* quamquam hic usus magis Graecorum proprius est, apud quos genetivus hac significatione usurpatus maxime ab adverbiis pendet cf. Matth. §. 337—338. Zumpt. §. 437: *Ferner setzen sie* (i. e. poetae iique historici, qui eorum genus dicendi sequuntur) *überhaupt zu allen Adjectivis den Genetiv, zum Theil nach Art der Griechen, für den lateinischen Ablativ im Sinne des deutschen „in Anschung, in Hinsicht." — Besonders müssen wir den Gebrauch des Genetivs statt des Ablativs in Anspruch nehmen für den bei späteren Prosaikern häufigen Zusatz* animi *zu allen Adjectivis*". — De imitatione tamen Graecorum hac in re nihil certius conici potest, quamquam apud eos hic genetivus limitationis multo latius patet quam vulgo putatur. Invenitur apud Thucydidem 5, 108: „τῆς δὲ γνώμης — πιστότεροι ἑτέρων ἐσμέν", ubi Goellerus: „genetivus τῆς γνώμης pendet a πιστότεροι", Poppo autem: „facilius alicui in mentem veniat τῆς γνώμης ad πιστ. referre, comparanti Latina „certus animi". — Sed ne hic quidem genetivi usus, quem grammatici Latini saepe Graecum appellant, vere Graecus est". — Neque vero video, quomodo aliter explicari possit aut cur non vere Grae-

cus sit cf. Eurip. Heraclid. 213: γένους (= *an Geschlecht*) μὲν ἥκεις ὧδε τοῖσδε Plat. Gorg. p. 469: κατέαγα τῆς κεφαλῆς (= *am Kopfe*).

Sed frequentius, ut supra diximus, hic genetivus ab adverbiis pendet, ut 1, 36: καλῶς παράπλου κεῖται (i. e. *in Hinsicht der Ueberfahrt*) 3, 92: τοῦ πολέμου καλῶς — ἐδόκει ἡ πόλις καθίστασθαι. — τῆς παρόδου χρησίμως ἔξειν 1, 75: ἀρχῆς — ἐπιφθόνως διακεῖσθαι 1, 22: ὡς ἑκατέρων τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι 2, 90: ὡς τάχους τις ἔχει (sic 6, 97. 7, 2. 8, 102) 7, 54: ὡς ἕκαστος τῆς ξυντυχίας ἔσχεν. Hunc usum imitatus esse videtur Sallustius: Cat. 6, 3: „sicut pleraque mortalium habentur" quae verba iam Herzogius, deinde Lawsius comparaverunt cum Graecorum dictione ὡς τὰ πλεῖστα τῶν θνητῶν ἔχει, cum Kritzius explicet: „sicut in plerisque, quae mortalium sunt, fieri solet". Duplicem autem Graecismum hoc loco esse statuit Lawsius, primum quod genetivus personae (i. e. mortalium) pendeat a neutro adiectivi, deinde quod „habentur" mediali vi positum sit. Sed ut in Graeca structura ὥς τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι genetivus pendet vel a tota sententia ὥς τις ἔχοι vel tantum ab adverbio ὡς (cf. Classenium ad 1, 22), sic nostro loco „mortalium" pendere puto a tota sententia „sicut pleraque habentur" ut haec verba ita sint intelligenda: *wie es sich in Ansehnng der Mcnchen (= im menschlichen Leben) meistens verhält.*

Etenim propterea „mortalium" non facile cum voce „pleraque" coniungi potest, quod apud Sallustium, qui saepissime neutra adiectivorum cum genetivo rei vel abstracti coniungit, nusquam personae tali modo pendent a neutro. Utut autem verba explicaveris, graecismum in iis esse perspicuum est cf. Draeger p. 415: *Ein starker Gräcismus ist der Genetiv nach dem modalen* ut, Tacit. annal. 15, 53 ut quisque audentiae habuisset (= pro ea, qua quisque esset, audentia). *Im Lateinischen ist dies* ἅπαξ εἰρημένον (? cf. nostrum locum), *im Griechischen steht* ἔχειν *nach* ὡς, ὅπως, πῶς, οὕτως *nicht selten mit dem Genetiv*".

In temporum usu quamquam maxima variatione utitur scriptor, de qua infra agemus, tamen in universum dici potest, raro eum a communi Latinorum usu recedere cf. Bussman. de temporum usu apud Sallustium. Quare hic tantum de perfecto Graeci aoristi loco usurpati dicendum est. Hoc perfec-

tum, quod consuetudinis vocant, invenitur apud Plautum uno tantum loco, apud Ciceronem raro atque ubi aliter explicari potest, inde ab Sallustio frequentissime, praesertim apud poetas, qui Graecorum morem dicendi sequuntur. Quare etiam Sallustium hunc morem a Graecis petivisse contenderim (cf. Draeger. I, p. 229). Legitur autem apud eum, ut naturae avristi gnomici convenit, maxime in orationibus, ubi sententiae generales quae vocantur commemorantur aut in moribus describendis, ut Cat. 2, 8. 10, 4. 11, 3. Iug. 17, 6. 42, 4. (ubi Thucydideam sententiam transtulisse eum perspicuum est) 74, 3.

Ad perfecti usum pertinet, quod Poppo contendit p. 157, saepius a scriptoribus, quibus „Graeci in deliciis essent, hoc tempus pro plusquamperfecto poni". Luculenter tali modo usurpatum est his locis: Cat. 17, 2. Iug. 70, 1. Qui usus cum iam apud Caesarem inveniatur, num ad Graecorum morem referendus sit, dubium est potiusque Kritzio assentiar, qui ad Cat. 17, 2 monet, perfectum pro relativo tempore poni, quo non ad certum illud tempus, quo res facta sit, respici sed praeteritum tempus tantummodo indefinite et ἀορίστως significari.

In **modis** hoc multi memorandum esse inveniunt, quod frequentius quam alii in sententiis obliquae orationi insertis indicativo pro coniunctivo utatur. Quem morem unde petiverit scriptor, opiniones doctorum virorum valde sunt diversae. Gerlachius enim hac de re ita disputat (3, p. 324): „memoratu dignum hoc est, Sallustium more historicorum Graecorum saepius indicativo usum esse, ubi ex grammaticorum regulis coniunctivus modus erat usitatior. Nam vel tum, ubi aliorum sensus et cogitationes enarrantur, suum interponit iudicium; res gestas enim illustrare quam aliorum opiniones et iudicia interpretari maluit". Huic assentitur Herzogius ad Cat. 27, 4: „*Die Aehnlichkeit mit dem griechischen Sprachgebrauch in Anwendung des Indicativs ist nicht zu verkennen*".

Altera opinio Lawsii (p. 1) et Walchii (emendat. Liv. p. 191) est, ad antiquorum imitationem hunc morem revocantium. Tertia est Badstuebneri (p. 39): concedendum esse

arbitrio scriptorum, ut quem potiorem habeant modum, eum anteponant. „Si quid igitur ex mente et sensu suo aliorumve proferre idque non pro incerto ponere sed ut certissimam rem in nulla dubitatione collocatam exprimere volunt, indicativum usurpare solent.“ Quod indicium ad veritatem proxime accedere pluraque de hac re addere supervacaneum puto, cum quanta omnio libidine scriptores omnium temporum (excepto Cicerone) hac in re versentur ita, ut usus indicativi tantum ab arbitrio cuiusvis pendeat, satis demonstret Draegerus (IV. p. 418—420).

Ut ad infinitivi usum transeamus, memoratu dignum est, a permultis verbis apud Sallustium pendere infinitivum, quibus apud optimos scriptores particulas Ut etc. subiunctas videmus. Nonnulla ex his iam ab antiquis scriptoribus ita usurpari demonstravit Bruennertius (p. 38) ut Dehortari (Iug. 24, 4) apud Catonem, Niti (Iug. 25, 9. 37, 2) apud Sisennam, Postulare (Iug. 17, 1. 47, 2) apud Licinium Macrum. In universum tamen quantum Graecorum consuetudo ad hunc morem attulerit dubitari non potest. Clarius hoc demonstrant exempla Cat. 52, 24: „coniuravere patriam incendere“ quamquam Dolegae assentiri non possum, his verbis expressam esse Thucydidem sententiam (3, 39, 2): ἐζήτησαν ἡμᾶς — διαφθεῖραι, nullam enim in his nisi fortuitam similitudinem invenire me posse confiteor, Cat. 17, 2: „abuti — properabant“ ubi recte Herzogius admonuit, verba „maturare, festinare“ etc. (Cat. 18, 8. 36, 3. Iug. 79, 5. 36, 1. hist. 2, 59) ad analogiam Graecorum οἴχομαι φθάνω, διατελέω sustinere vices adverbiorum, quamvis Lawsius et Dolega hanc structuram esse Graecam negent. Quantum autem hic usus infinitivi etiam a substantivis pendentis pateat, ex his locis cognoscas, Cat. 17, 6: „quibus — vivere copia erat“ 30, 4: „quibus omnia vendere mos erat“ Iug. 3, 4: „nisi forte quem lubido tenet — gratificari“ 102, 5: „simul nobis demeres acerbam necessitudinem — persequi.“ Haec quoque ad Graecos referre, ut Poppo (I, 1, 373) fecit, non opus est, cum apud Plautum iam substantivum „lubido“ cum infinitivo coniunctum novies legatur, cf. Holz. syntax. II, p. 29. Brix ad Trinumm. 626.

Quod porro Poppo contendit, (p. 377) morem vocis „scilicet“ cum infinitivo coniungendae (Iug. 102, 9. 113, 3. hist. 1, 19, 5) Sallustiam e Graeca lingua recepisse (comparato loco Euripideo Orest. 727: εἰκότως κακῆς γυναικὸς ἄνδρα γίγνεσθαι κακόν), mirum videtur. Nam ex Cortio, quem laudat, videre potuit, talia iam apud Plautum et Varronem inveniri, neque ex Thucydide aut alio Graeco scriptore pedestris sermonis Sallustius hanc structuram arripere potuit.

Non silentio praetermittendum puto alium morem Sallustianum, usurpandi genetivum participii futuri passivi cum substantivo coniuncti. Quam rationem dicendi non ad Thucydidea exempla „τοῦ φεύγειν“ etc., quod quidam iudicarunt, conformatam esse, accuratius demonstrare studuit Dolega, qui hunc genetivum non ad designandum finem positum esse sed ubique qualitatis esse contendit. Ac recte quidem iudicasse mihi videtur de iis locis, ubi genetivus a verbo Esse vel expresso vel supplendo pendit, ut Cat. 6, 7; „regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae rei p. fuerat.“ 46, 2. Iug. 88, 4. Reliquis locis autem, ubi neque a verbo neque substantivo pendit genetivus, longe aliam rationem esse perspicuum est cumque ante Sallustium ita usurpatum eum esse non inveniamus, ab illo hanc structuram in sermonem Latinum introductam esse pro certo affirmaverim cf. Draeger. (IV, p. 801): „*bei Terenz haben wir einen finalen Genetiv ohne regierendes Substantiv.* Ad. 269 ne id adsentandi magis quam quo habeam gratum facere existumes. *Ich glaube mit Zumpt, dass dies Latein dem griechischen Original „treu nachgebildet“ ist, wesshalb ich auch in den nun folgenden Stellen einen Grăcismus erkenne;*

1) Sall. frag. 1, 49, 8 (Kritz.) „ut — omnia retinendae dominationis honesta aestumet“;
2) 1, 56, 3 „exercitum opprimendae libertatis habet“;
3) ib. §. 6 „cum privata arma opprimundae libertatis cepisset“;
4) ib. §. 10 „ad arma civilia, quae ille — cepit non pro sua aut quorum simulat iniuria sed legum ac libertatis subvertundae.“

Bei der Betrachtung dieser phraseologisch so ähnlichen Stellen, namentlich der letzteren, scheint mir die Annahme eines Genetivs der Eigenschaft oft zu gezwungen; noch mehr tritt die finale Bedeutung des Casus seit Tacitus hervor.“

Hanc structuram iis adnumerandam esse censeo, quae luculentius Thucydideam originem demonstrant. Neque enim ex ullo alio scriptore Graecorum facilius eam petere quam ex eo poterat, qui et primus hoc genere dicendi usus esse videtur et multo frequentius (1, 4. 1, 23, 5. 2, 4, 2. 2, 22, 1. 2, 75, 1. 8, 14, 1. 8, 39, 4 et alibi) quam alii, quamvis concedendum sit genetivum gerundivi Latinorum non plane respondere structurae brevissimae illi et eleganti Graecorum

Iam Poppo adnotavit (I, 1, p. 184) Sallustium amare perfecta quorundam deponentium induere passiva significatione. Quod maxime fit in participiis perfecti cf. Cat. 7, 3 („adepta libertate“) Iug. 101, 9. 17, 7. 31, 8. Permulta huius usus exempla non modo ad perfectum sed ad omnia tempora pertinentia congessit Badstuebnerus p. 46. Quae cum Poppo ad imitationem Thucydidis refert, valde errare mihi vir doctissimus videtur. Tantum enim omnio dici potest, ambobus hunc morem communem esse, cum ea aetate vixerint, ubi multa Deponentia nondum satis a Passivis distincta erant. Praeterea tenendum est, Thucydidem pauca tantum exempla huius usus exhibere. De Sallustiano autem usu recte observavit Dietschius ad Cat. 7, 3, his obsoletis formis usos esse scriptores Latinos in eis tantum locutionibus, quae vulgo multum usurpatae consuetudine ex antiquitate traditae essent.

Hactenus exploravimus, quomodo Crispus in singulis rebus grammaticis ad Graecum auctorem se applicaverit. Iam videamus quo iure omnis indoles Sallustianae orationis, id quod Poppo iudicat, eadem esse existimetur, quae apud Thucydidem. Qua quidem in re vereor ne vir doctissimus, ut omnio fecit, multa, quae potius Sallustii propria videntur, ad Graecum rettulerit. Probatur autem mihi iudicium eius, quatenus pertinet ad orationem variatam. Ab hac incipiamus.

Orationem autem variatam dicimus in iis enuntiatis inesse,

ubi scriptor non in una structura perseverat sed variat singula enuntiati membra, sive hoc in numeris, sive in casibus, sive in temporibus verbi, sive in modis fit. Quod dicendi genus Sallustii tam peculiare est, ut ex omnibus Latinis scriptoribus praeter Tacitum vix quemquam invenias, apud quem sit hoc frequentius, itaque iure eum hac in re cum Thucydide comparare possis, qui prae ceteris Graecis huius structurae est amans. Ceterum ambos scriptores hac consuetudine cum studio brevitatis coniuncta aliquotiens obscuros fieri haud ignotum est, sed fit etiam, ut oratio eorum hac variatione mirum in modum sit vivax magisque alliciat eum, qui legit, ad altius penetrandum in sensum eorum, quae scriptor exprimere voluit.

Atque primum quidem numeri variantur. Sed cum talia iam invenerimus, ubi de constructione κατὰ σύνεσιν disserebamus, venia nobis est petenda, si quaedam, quae supra attigimus, repetere cogimur. Exempla autem insignia haec sunt: Cat. 7, 4: iam primum inventus, simulac belli patiens erat, in castris militiam discebat magisque — lubidinem habebant Cat. 23, 6: pleraque nobilitas aestuabat et — credebant, — sperabat. Iug. 17, 7: ut interpretatum nobis est — dicam 97, 3: „Bochus — Iugurtham accedit. Ita — invadunt."

Haec supra exemplis ex Thucydide petitis illustravimus. Saepissime etiam numeri substantivorum variantur: Cat. 16, 2. 33, 1: fidem, fortunas 20, 8: pericula, egestatem Iug. 57: glande aut lapidibus ibid: iacula tormentis aut manu emissa Iug. 25: aut vi aut dolis. Iug.: voluntarius aut ex sociis. Thucydidea congessit Poppo I, 1, p. 267.

Sequitur variatio casuum, qua tam libere utitur Sallustius, ut in eodem enuntiato diversos casus ad idem substantivum vel adiectivum relatos legamus, ut Cat. 33, 1: plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus Iug. 74, 3: Romani armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti sunt. Iug. 84, 2: plerosque militiae, paucos fama cognitos accire Cat. 25, 2: „litteris Graecis atque Latinis docta, psallere et saltare elegantius — multa alia, quae in-

strumenta luxuriae sunt", memorabile sane exemplum, quippe in quo triplicem orationis variationem videamus, cum ad adiectivum „docta" primum referatur ablativus, tum infinitivus, denique accusativus. — Iug. 82: ipsi pares — ceterum opibus disparibus Cat. 37: homines egentes — malis moribus Iug. 25: homines nobiles — amplis honoribus Iug. 88: gloriosa — neque belli patrandi 89: rem non eadem asperitate, ceterum haud secus difficilem. Cat. 28: „in consule nostro multae bonaeque artes animi et corporis erant; patiens laborum, acri ingenio" etc., ubi non modo casus sed etiam tota structura variatur. Aliud insigne exemplum et numeri et casus variati, quod ad constructionem κατὰ σύνεσιν pertinens iam supra attigimus, exstat Iug. 102, 6: „Ad hoc populo Romano iam a principio melius visum amicos quam servos quaerere, tutius rati volentibus quam coactis imperitare". Hanc lectionem exhibent Cortio teste Guelferbytanus 7 et duo alii codices, item omiserunt copulam „que" Basiliensis et Parisiensis 3 teste Dietschio, tum omnes libri secundi ordinis, denique unus tertii ordinis. Lectionem autem „tutius**que** rati" plane perspicuam et dilucidam exhibent Turicensis tantum et Guelferbytanus Gud. 177. Tamen eam recepit Kritzius monens, saepissime enuntiationes, quibus antecedentium ratio reddatur, per copulam prioribus annecti. Quod quamqam apud Sallustium frequens est, tamen hunc in locum minus quadrare puto, quia verbum „sunt" facile omittere scriptor non poterat. Itaque et variationis et brevitatis studio scriptoris egregie aptam esse nostram lectionem quisque concedet. Qui autem Thucydideum genus dicendi accuratius cognoverit, tales structuras Crispum apud illum saepius quam apud alium Graecorum invenire potuisse non ignorabit. Cf. 3, 36: ἔδοξεν αὐτοῖς — ἐπικαλοῦντες 7, 74: ἔδοξεν αὐτοῖς περιμεῖναι — ἀναλαβόντες 7, 42: καὶ τοῖς μὲν — κατάπληξις — ἐγένετο — ὁρῶντες 6, 24: ἔρως ἐνέπεσε — τοῖς ἐν τῇ ἡλικίᾳ — εὐέλπιδες ὄντες. — In his omnibus nihil insolitum esse, cum vox „ἔδοξεν" etc. parem vim habeat atque „ἐβουλεύσαντο" notum est. Quare Sallustium hoc usu dicendi commotum pari mode voce „visum est" usum esse veri non dissimile est. Ceterum huius casuum

variationis coniunctae cum mutatione constructionis permulta apud Thucydidem exempla inveneris, ut 6, 35. 7, 13. 4, 87. 8, 66. 3, 53. 6, 15. 4, 10.

Ut de pronominibus dicam, maxime Sallustius variatione utitur in pronominis „alius“ usu. Cf. Iug. 19, 1. alii — pars 13, 9. 19, 5. 21, 2. 38, 3. 40, 2. 83, 3. 89, 1: partim — alii hist. 2, 41, 1: alia — partim Iug. 96, 2. multis — aliis. Iug. 65, 4 „alios — plerosque.“ Permira sunt, quae leguntur Iug. 96, 2: „ipse ab nullo repetere, magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent“ ubi pro „illi“ pronomen „ipsi“ exspectamus. Quem usum Poppo (1, 1, p. 373) et Gerlachius in Graecismis numerant, ex quibus alter contendit „vim Graeci pronominis αὐτός a Sallustio esse expressam.“ Sed recte haec Kritzius refellit, docens saepe apud Latinos fieri ut pro reflexivo pronomine demonstrativum ponatur, cum haud inusitata neglegentia scriptor in incepta cogitatione non pergat, sed ex eius, quem eogitantem induxerat, mente in suam ipsius personam transeat, cf. Zumpt. §. 550. — Ceterum satis liberum hoc genus dicendi est, quo saepius Sallustius videtur usus esse. Legitur enim hist. 5, 9: „Lucullus pecuniam Quintio dedit, ne illi succederetur.“ Haec verba, quae apud scholiastam Gronovianum ad Cic. pro lege Man. 10, 28 inveniuntur, Sallustii fuisse Dietschius negavit, contendens scriptorem certe non „illi“ scripturum fuisse sed, ut latini sermonis leges postularent, „sibi“. Sed cum lectio priore loco satis firmata sit codicum auctoritate, eadem licentia etiam hic scriptorem usum esse veri simile est.

Notandum est etiam genera verbi Crispum mirum in modum variare, quo fit, ut etiam subiecta mutentur ut Cat. 51, 40: „circumvenire innocentes, alia huiusce modi fieri coepere (sic plerique codices et Cortius, quamquam alii lectionem receperunt: circumveniri) Iug. 97, 4: priusquam exercitus aut instrui aut sarcinas colligere — quivit Cat. 53, 3: „sciebam saepenumero (populum Rom.) — contendisse, cognoveram parvis copiis bella gesta — ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse.“

Etiam huius rei auctor ei Thucydides exstitisse videtur, qui saepissime orationem variat transeundo in aliud genus verbi mutandoque subiecto cf. 1, 51. 3, 75. 4, 108. Poppon I, 1 p. 182—183.

In modis autem variandis miram Sallustii artem esse omnes fere, qui de genere eius dicendi scripserunt, animadverterunt. Atque ut de infinitivis dicam, maxime illa ars cernitur iis locis, ubi infinitivus, quem dicunt historicum, excipit verbum finitum. Sed cum huiusmodi usus plane Latinorum proprius sit neque ad nostram quaestionem pertineat, omittamus de eo plura addere. Magis autem Graecorum esse videtur ex nominativo c. inf. transire in accusativum c. inf., quod aliquotiens apud Sallustium fieri videmus, ut. Cat. 15, 2: „Postremo captus amore Aureliae Orestillae — pro certo creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse" qualem structuram recte Kritzius in anacoluthis numerat dicitque eam ita admisisse Sallustium, „ut, cum orationem talem ordiretur, quae nominativo c. inf. constaret, deinde propter interposita subiecti oblitus in accusativum c. inf. transiret ex „Creditur" verbo impersonaliter posito pendentem". Nam mullo pacto dici aut construi posse: „Catilina captus pro certo creditur fecisse".

Similis anacoluthia est Iug. 85, 2: „Sed mihi contra ea videtur; nam quo pluris est univorsa res publica quam consulatus aut praetura, eo maiore cura illam administrari quam haec peti debere". Cf. locum Thucydideum memorabilem 1, 3: δοκεῖ δέμοι — οὐδὲ τούνομα τοῦτο ξύμπασα πω εἶχεν — ἀλλὰ τὰ μὲν πρὸ Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος καὶ πάνυ οὐδὲ εἶναι ἡ ἐπίκλησις, κατὰ ἔθνη δὲ — ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνομίαν παρέχεσθαι — καθ' ἑκάστους μὲν ἤδη τῇ ὁμιλίᾳ καλεῖσθαι Ἕλληνας. Si accuratius ambo comparantur loci, non potest fugere, quam similes sint structurae. Etenim cum verbum „videtur" et δοκεῖ δέμοι aut oratio recta aut infinitivus sequi debeat, utrumque genus dicendi scriptores confundunt. Cuius licentiae exempla equidem haud scio an apud nullum Sallustianae aetatis alium scriptorem inveniantur itaque pro certo affirmaverim, hoc loco Sallustium orationem suam conformasse ad Graecum exemplum.

Multis praeterea modis infinitivi usum variat scriptor, ut Iug. 35, 3. 38, 9. 31, 13.

Eodem varietatis studio ductus transit a participio in verbum finitum cum coniunctione copulatum vel vice versa, ut Iug. 30, 1: res — gestas quoque modo actae forent fama divolgacit. Iug. 46, 1: „ubi accepit — simul certior factus". Transit etiam in enuntiatis secundariis saepissime a coniunctivo in indicativum (Iug 54, 1. 63, 1), de quo usu supra diximus.

Sed haec omnia non ita Latinis inusitata sunt, ut ex imitatione Attici scriptoris certo derivare possimus, quamquam apud eum simillima inveniuntur, vid. Poppon. I, 1, p. 270—274.

In temporibus autem componendis non minorem artificem se praebet Sallustius quam Thucydides. Nam quamvis persaepe mutet et variet tempora, nihil tamen ex libidine agit recteque Gerlachius affirmat (III, p. 320): „eo ceteris scriptoribus differt, quod accuratius singula temporis momenta distinguit. — Id quod multum confert ad varietatem et evidentiam augendam". Quamquam igitur paucis locis a communi Latinorum usu hac in re recedit, ut supra diximus, tamen eius et Attici scriptoris consuetudinem similem esse non negaveris. Exempla quaedam, quae cum Thucydideis compares, proferre liceat:

Coniungitur praesens historicum cum perfecto historico sive aoristo:

Cat. 20, 1: Catilina — secedit atque — orationem habuit.	Thuc. 2, 68: αἱροῦσιν Ἄργος καί — ἠνδραπόδισαν.
Iug. 26, 3: Iugurtha — necat, deinde interfecit (sic optimi libri).	Thuc. 2, 69: ὁ Μελήσανδρος ἀποθνήσκει καὶ — διέφθειρε.
Iug. 12, 4: Numida — confecit atque — introducit.	Thuc. 6, 102: ἀντετάξαντο καὶ πέμπουσι.
Iug. 20, 1: postquam — decessere et — videt.	Thuc. 8, 84: ἔλαβον-καὶ ἐκβάλλουσι.
Iug. 35, 4: postquam Massiva agitare coepit neque — est.	Thuc. 8, 85: ἐπῆλθε καὶ παραλαμβάνει.

Iug. 49, 1: Bomilcarem praefecit eumque edocet.	Thuc. 7, 83: αἰσθάνονται καὶ ἐπαι ὤνισαν.
Iug. 64, 3: postquam — dixit neque — flectitur.	Thuc. 1, 95: εὐθύνθη — ἀπολύεται.

Imperfectum cum perfecto:

Cat. 12, 1: postquam — coepere et — sequebatur.	Thuc. 7, 20: οἱ Ἀθεναῖοι ἔστ ετ-λαν καὶ — ἀπέστελλον.
Cat. 10, 1: Carthago interiit, cuncta patebant	Thuc. 7, 44: θόρυβον πολὺν παρεῖχον — καὶ κατέστησαν.
Hist. 3, 81, 1: si parum existumaretis — disserendum fuit.	

In enuntiatis secundariis saepe apud Sallustium praesentia excipiunt imperfecta, ubi Thucydides non modo tempora sed etiam modos variat.

Cat. 32, 2: mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment.	Thuc. 7, 17: ναῦς οἱ Κορίνθιοι ἐπλήρουν, ὅπως ἀποπειράσωσι — καὶ κωλύοτεν.
Cat. 34, 1: respondit, si quid a senatu vellent, ab amis discedant —	Thuc. 8, 87: οἱ μὲν ἵνα διατρίβῃ — οἱδὲ, ἵνα — ἐκχρηματίσαιτο.
Cat. 34, 2: litteras mittit — quoniam resistere nequiverit — non quo conscius esset.	

Saepe etiam Sallustius consecutionem temporum, quae vocatur, negligit, ut:

Cat. 41, 5: praecepit ut — simulent.

Iug. 28, 1: praeeepit — aggrediantur.

Iug. 13, 6: praecepit ut — expleant.

Talia apud alios inveniri notum est (quamquam frequentius apud scriptores argenteae demum Latinitatis) sed mihi Sallustius fines licentiae transgressus esse videtur ita, ut liberiorem Graecorum usum putem aliquantum attulisse ad hanc rationem dicendi.

Ex praepositionibus non raro transeunt in nomen vel in alias formas:

Iug. 23, 1: dolis — per vim.	Thuc. 1, 39: ῥαθυμίᾳ — μετὰ νόμων.
Iug. 7, 4: labore — parendo.	Thuc. 4, 86: διὰ τὸ εἰπεῖν καὶ — φόβῳ.
Iug. 7, 1: per vim — insidias.	Thuc. 1, 32: μὴ μετὰ κακίας, δόξης δὲ ἁμαρτίᾳ.
Iug. 22, 2: obeasdem artis non penuria.	
Cat. 56, 1: voluntarius aut ex sociis.	Thuc. 3, 82: μετὰ — ὠφελίας — πλεονεξίᾳ.
Iug. 89, 8: civibus adversus famen — non libidini.	Thuc. 7, 84: ὑπὸ τῆς ταλαιπωρίας καὶ — ἐπιθυμίᾳ
Hist. 1, 48, 10: non pro sua aut quorum simulat imperio, sed libertatis subvortundae.	Thuc. 7, 70: ἢ διὰ τὸ φεύγειν ἢ ἄλλῃ ἐπιπλέουσα.

Omnia haec variatae orationis exempla, quorum numerus facile augeri potest, quamquam in singulis verbis nullam produnt similitudinem, tamen in structuris quantopere consentiant, vides; itaque in universum dici posse censeo, si non exemplis ipsis at tamen frequentia exemplorum comprobari, quantum ad hoc genus dicendi consuetudo Thucydidea attulerit.

Sallustii brevitatem multi iam veterum laudibus extulerunt Senec. Controv. 9, p. 249, 9 (Burs) Senec. Ep. 19, 5, 17. Quintil. 4, 2, 45. I0, 1, 32. Gellius 3, 1, 6. Macrob. Sat. 5, 1, 7. Statius Silv. 4, 7. Sidon. Apoll. Paneg. Anth. 2, 190. Apulei. apol. 95. — Sed hoc brevitatis studium ex Thucydidis imitatione natum esse, ut Poppo censuit (1, 1, p. 375), iis exemplis, quae ipse attulit, plane nou comprobatur. Recte quidem demonstravit, brevitatem hanc saepe male intellectam esse, cum scriptor neque verbositatem fugeret neque ellipses (cuius figurae exemplis Cortius olim multas paginas implevit) alias admitteret, quam quae apud plurimos scriptores reperiuntur. Quae deinde autem affert ad confirmandam sententiam suam, facile refutari possunt. Dicit enim: quaerenda igitur illa Sallustii brevitas partim in sententiis nervosis vigoreque excellenti-

bus, partim in ratione historica interdum simpliciter quid, non quomodo factum sit, enarrante, partim etiam in priodorum earumque membrorum connexione saepe levi ob omissas copulas, unde Asyndeton propriam Crrispo figuram appellat Corte."

Quicunque autem brevitati studet, sententiis nervosis vigoreque excellentibus uti debet neque propterea Thucydidis imitator vocandus est, idem iudicandum est de arte historica, quod autem tertio loco affert, Crispum saepe enuntiata omissis copulis iuxta ponere, hoc potius cum multis viris doctis (Gerlachio, Lawsio, Delturio, Bruennertio) ad imitationem antiqui sermonis referam, siquidem ex imitatione hoc natum esse neque ex Sallustii indole existumamus. Denique Asyndeta, quae angustiore sensu vocantur, minime ex Thucydide scriptorem haurire potuisse, immo valde differre hac in re ambos infra, ubi de figuris dicemus, demonstrabimus. Ceterum eo facilius Poppo ad hanc sententiam perduci poterat, quod Quintilianus etiam celebratam brevitatem ad Thucydidis imitationem rettulisse videtur loco supra laudato: „Attici praecisis conclusionibus obscuri Sallustium atque Thucydidem superant."

Quandam, quae ad brevitatem Sallustianam pertinent, conabimur demonstrare ad hanc imitationem referri posse sed longe alia atque Poppo censuit. Inveniemus autem haec, si exploraverimus quibus in rebus insit brevitas Graeci scriptoris. Atque quattuor quidem causas enumerat Poppo (1, 1, p. 281):

1) „quod saepius et durius quam apud alios scriptores verba, quae ex ante cedentibus repeti possunt, omittantur, (quam structuram ἀπὸ κοινοῦ appellant Graeci).
2) quod integrae breviores sententiae ad conectendum sermonem necessariae et media quaedam periodorum membra desint et particulis tantum innuantur.
3) quod subinde abruptior sit oratio et per incisa atque cola incedat.
4) quod notionum ipsarum arguta esse soleat densitas et sententiae complures paucis verbis exprimantur."

Quid de oratione abrupta sentiam, ex iis, quae supra diximus, apparet, sed liceat mihi hac de re accuratius paulo

infra disserere. Iam transeamus ad reliqua. Morem supplendi substantivum ex antecedente verbo apud Thucydidem frequentissimum secutus esse videtur scriptor loco memorabili, quem multi vexaverunt interpretes. Legitur Cat. 18, 2: „sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina fuit; de qua, quam verissime potero, dicam", ubi pronomen Qua refertur ad substantivum ex verbo „coniuravere" supplendum.

Quam structuram duram et sine exemplo esse omnes consentiunt interpretes, ut Kritzius, qui nunc scribit „de qua re", et Dietschius, quamquam omnium suorum codicum auctoritate Diomedisque testimonio cogitur illud „qua" retinere. Poppo etiam hoc dicendt genus ex Thucydideo usu illustrat sed falso mea quidem sententia laudat ea, quae legentur 6, 80 quaeque Matthiae etiam in libro suogrammatico affert (§. 435): ἄλλως τε καὶ ἀπὸ Πελοποννήσου παρεσομένης ὠφελείας, οἳ τῶνδε κρείσσους εἰσί. Hic enim facillime potest suppleri οἱ Πελοποννήσιοι vel οἱ ὠφελοῦντες neque pronomen ad verbum sed ad substantivum refertur diversi numeri et generis. Neque Gerlachius debuit laudare verba Euripidea, quae exstant Iph. Aul. 1418: τὸ θεομαχεῖν γὰρ ἀπολιποῦσ' ὃ (θεῖον) σου κρατεῖ. — Inveniuntur enim apud Atticum scriptorem aliae eaeque simillimae structurae, ut 1, 22: ἢ μέλλον τες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ (i. e. πολέμῳ) ἤδη ὄντες.

Omnino amat substantiva tali modo supplere ex verbis. Ita ex τειχίζειν elicit notionem τεῖχος (1, 90. 91), ex βοηθεῖν substantivum βοήθεια (5, 47), ex φυλάσσειν verbo τὴν φυλακήν (7, 28). Quae si reputaverimus, iam apparebit, Sallustium imitatorem cum in multis aliis syneseos generibus tum in usu pronominis relativi Attici scriptoris etiam nostro loco adhibuisse structuram illam et brevitati et immortali velocitati cogitandi utriusque aptissimam, eadem ratione atque alterum scripturum fuisse sine dubio putamus: ξυνώμοσαν ὀλίγοι — περὶ ἧς — ἐρῶ. Brevitati porro ustriusque proprium est, omittere saepe casum quendam ita, ut ex alio casu supplendus sit, quam ellipsin Sallustius multo frequentius usurpat quam ut talia ex neglegentia quadam aut fortuito nata esse existimare possimus cf. Iug. 54, 1: uni-

bus, partim in ratione historica interdum simpliciter quid, non quomodo factum sit, enarrante, partim etiam in priodorum earumque membrorum connexione saepe levi ob omissas copulas, unde Asyndeton propriam Crrispo figuram appellat Corte."

Quicunque autem brevitati studet, sententiis nervosis vigoreque excellentibus uti debet neque propterea Thucydidis imitator vocandus est, idem iudicandum est de arte historica, quod autem tertio loco affert, Crispum saepe enuntiata omissis copulis iuxta ponere, hoc potius cum multis viris doctis (Gerlachio, Lawsio, Delturio, Bruennertio) ad imitationem antiqui sermonis referam, siquidem ex imitatione hoc natum esse neque ex Sallustii indole existumamus. Denique Asyndeta, quae angustiore sensu vocantur, minime ex Thucydide scriptorem haurire potuisse, immo valde differre hac in re ambos infra, ubi de figuris dicemus, demonstrabimus. Ceterum eo facilius Poppo ad hanc sententiam perduci poterat, quod Quintilianus etiam celebratam brevitatem ad Thucydidis imitationem rettulisse videtur loco supra laudato: „Attici praecisis conclusionibus obscuri Sallustium atque Thucydidem superant."

Quandam, quae ad brevitatem Sallustianam pertinent, conabimur demonstrare ad hanc imitationem referri posse sed longe alia atque Poppo censuit. Inveniemus autem haec, si exploraverimus quibus in rebus insit brevitas Graeci scriptoris. Atque quattuor quidem causas enumerat Poppo (1, 1, p. 281):

1) „quod saepius et durius quam apud alios scriptores verba, quae ex ante cedentibus repeti possunt, omittantur, (quam structuram ἀπὸ κοινοῦ appellant Graeci).
2) quod integrae breviores sententiae ad conectendum sermonem necessariae et media quaedam periodorum membra desint et particulis tantum innuantur.
3) quod subinde abruptior sit oratio et per incisa atque cola incedat.
4) quod notionum ipsarum arguta esse soleat densitas et sententiae complures paucis verbis exprimantur."

Quid de oratione abrupta sentiam, ex iis, quae supra diximus, apparet, sed liceat mihi hac de re accuratius paulo

infra disserere. Iam transeamus ad reliqua. Morem supplendi substantivum ex antecedente verbo apud Thucydidem frequentissimum secutus esse videtur scriptor loco memorabili, quem multi vexaverunt interpretes. Legitur Cat. 18, 2: „sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina fuit; de qua, quam verissime potero, dicam", ubi pronomen Qua refertur ad substantivum ex verbo „coniuravere" supplendum.

Quam structuram duram et sine exemplo esse omnes consentiunt interpretes, ut Kritzius, qui nunc scribit „de qua re", et Dietschius, quamquam omnium suorum codicum auctoritate Diomedisque testimonio cogitur illud „qua" retinere. Poppo etiam hoc dicendt genus ex Thucydideo usu illustrat sed falso mea quidem sententia laudat ea, quae legentur 6, 80 quaeque Matthiae etiam in libro suogrammatico affert (§. 435): ἄλλως τε καὶ ἀπὸ Πελοποννήσου παρεσομένης ὠφελείας, οἳ τῶνδε κρείσσους εἰσί. Hic enim facillime potest suppleri οἱ Πελοποννήσιοι vel οἱ ὠφελοῦντες neque pronomen ad verbum sed ad substantivum refertur diversi numeri et generis. Neque Gerlachius debuit laudare verba Euripidea, quae exstant Iph. Aul. 1418: τὸ θεομαχεῖν γὰρ ἀπολιποῦσ' δ (θεῖον) σου κρατεῖ. — Inveniuntur enim apud Atticum scriptorem aliae eaeque simillimae structurae, ut 1, 22: ἢ μέλλον τες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ (i. e. πολέμῳ) ἤδη ὄντες.

Omnino amat substantiva tali modo supplere ex verbis. Ita ex τειχίζειν elicit notionem τεῖχος (1, 90. 91), ex βοηθεῖν substantivum βοήθεια (5, 47), ex φυλάσσειν verbo τὴν φυλακήν (7, 28). Quae si reputaverimus, iam apparebit, Sallustium imitatorem cum in multis aliis syneseos generibus tum in usu pronominis relativi Attici scriptoris etiam nostro loco adhibuisse structuram illam et brevitati et immortali velocitati cogitandi utriusque aptissimam, eadem ratione atque alterum scripturum fuisse sine dubio putamus: ξυνώμοσαν ὀλίγοι — περὶ ἧς — ἐρῶ. Brevitati porro ustriusque proprium est, omittere saepe casum quendam ita, ut ex alio casu supplendus sit, quam ellipsin Sallustius multo frequentius usurpat quam ut talia ex neglegentia quadam aut fortuito nata esse existimare possimus cf. Iug. 54, 1: uni-

versos in contione laudat atque agit gratias Iug. 51, 38: „imitari quam invidere bonis malebant.“ Ita saepissime demonstrativa omittuntur Cat. 13, 2. 48, 6. 37, 3. 17, 6. 55, 5. hist. 1, 48, 13. Tales omissiones Thucydides simillime adhibet atque frequentius fortasse quam quosquam alius Graecorum cf. 1, 20. 1, 144. 4, 72. 8, 86. 5, 1. 6, 87. 7, 5. 8, 87.

Neque minus ambo amant ex verbo aliud supplere similis significationis. Duriora sunt, quae Sallustius Iug. 17, 3 audet: „In divisione orbis terrae plerique in partem tertiam Africam posuere; pauci tantummodo Asiam et Europam esse“ ubi ex verbo „posuere“ repetenda est notio iudicandi, cum alii scriptores tantum in verbis sentiendi vel declarandi talea audeant. His structuris saepe tam libere usus est scriptor ut multis locis voces „dicebat“ vel „dicunt“ ex interpolatione accesserint explicandae sententiae causa cf. Kritzium ad Cat. 21, 2 et Iug. 14, 20. 38, 2. 57, 1. 82, 3. 88, 5. 26, 1. Cat. 40, 3. 31, 7. 49, 1. 47, 1. 43, 3. Liberius etiam Graecus supplet verbum simplex ex composito (4, 76), ex ἐνδέχεται notionem δεῖ (1, 141), ex ἀφιέναι verbum βούλομαι (2, 13) cf. 1, 70. 2, 37. 2, 53. 3, 3, ex νομίζω (7, 42) et ἡγοῦμαι (2, 42) notionem χρή.

Huc pertinet Zeugma, quo ambo valde delectantur. Apud Sallustium quindecies inveni, Cat. 17, 2. Iug. 3, 1. 14, 4. 14, 23. 17, 3. 28, 7. 42, 4. 46, 8. 54, 3. 55, 1. 63, 6. 85, 28. 92, 2. 105, 3. 111, 1. Qua re quantopere brevitas scriptoris illustretur, ex comporatione Caesaris generis dicendi cognosci potest. Qui cum brevitatis minime contemptor vocandus sit, tamen in libro eius de bello Gallico bis tantum haec figura invenitur. Apud Thucydidem frequentissima est.

Sequitur ut de enuntiatis omissis, quae particulis tantum indicantur, dicam. Particulam γάρ tali modo a Graecis usurpari notum est, quare sufficiat enumerare, quibus locis hoc ellipseos genus apud Thucydidem inveniatur, ut, quam frequenter hac structura utatur, illustretur: 1, 14. 1, 17. 1, 69. 1, 77. 1, 120. 2, 72. 4, 10. 5, 95. 4, 126. 1, 102. 4, 54. 1, 11. 1, 68 (his tribus locis significat „alioquin“). Ex Latinis iam Plautus hunc dicendi morem adhibet (Trinum. init.)

deinde Cicero frequentissime. Sed notandum est hoc tantum in formulis praeteritionis vel occupationis fieri, cum Sallustius non modo in his formulis sed etiam multis aliis locis ad sententiam quandam supplendam particula „Nam“ utatur cf. Cat. 52, 34. 58, 20. Iug. 19, 2. 28, 5. 31, 2. 63, 6. 82, 2. 88, 5. 102, 11. hist. 4, 61, 10.

Similis sed insolentior paulo in utraque lingua est usus particularum: Tamen et ὅμως. Apud Romanum scriptorem septies (Cat. 19, 2. 39, 5. 24, 2. 26, 2. 41, 7. 57, 4. Iug. 20, 6), apud Graecum duodecies inveni (3, 49. 3, 28. 3, 80. 4, 96. 5, 61. 6, 70. 7, 1. 7, 48. 7, 57. 7, 77. 8, 29. 8, 97).

Ceterum haec dicendi ratio quantopere respondeat velocitati illi immortali cogitandi, qua, quae facile cogitavi possunt, omittuntur, vix opus est admonere. Confitendum autem est figuras illas (ἀπὸ κοινοῦ et zeugma) et omissiones omnium scriptorum proprias esse, qui brevitati student. Qua propter difficile est diiudicare, utrum talia ad imitationem referenda sint necne.

Quod supra diximus, Sallustium artificiosis periodis neglectis saepe enuntiata sine copulatione iuxta collocare, multi iam viri docti animadverterunt. Quod genus dicendi cum praecipue apud Catonem inveniatur (cf. Deltur. p. 26—32), qui ita brevitate excellit, ut Sallustius propterea eum laudet (hist. 1, 2), multi rectissime existimaverunt, Catonis exemplum hac in re eum secutum esse. Ita Lawsius: „Sallustius in oratione formanda ad exemplum antiquorum scriptorum regressus et horum dicendi genus est secutus“ cf. Bruennert. p. 58—49.

Quamquam similia apud Thucydidem exstant, cuius brevia incisa librarii saepe in periodum redigere frusta conati sunt (cf. Poppon. p. 291), tamen in his brevibus enuntiatis formandis valde differre ambos scriptores puto. Thucydides enim non arte aut dedita opera abstinet artificiosis periodis, sed quia ex sermone vulgari genus dicendi ad historiam narrandam aptum formare cogebatur omninoque multa ei advorsa erant in duro adhuc et inhabili Atticorum sermone podestri. Quare Cicero (Orat. §. 234) dicere poterat: „In Thucydide orbem

orationis desidero.“ Quod igitur apud eum ex natura et condicione linguae, id apud Sallustium ex arte profectum esse iudicare debemus, quem simplicis orationis amantem Ciceronis periodos consulto neglexisse perspicuum est. — Cui simplicitati etiam hoc convenire puto, quod scriptor ad enuntiata conectenda aut nullis particulis utitur, ut supra diximus, aut perpaucis atque iisdem fere semper, maxime Igitur et Sed.

Hac particula utitur etiam atque etiam in transeundo ad alia, de quo usu recte Herzogius mea quidem sententia (Cat. 1, 2): „*Bei Sallust bemerken wir einen dreifachen Gebrauch von* sed. *Der erste und gewöhnliche da, wo* sed *als* particula continuativa *oder* transeundi *offenbar dem griechischen* δὲ *zu vergleichen, doch nicht ganz gleich ist. Sallust scheint seinem Führer Thucydides aus sonderbarem Eigensinn auch in dieser Kleinigkeit gefolgt zu sein.*“ Quae sententia confirmatur maxime locorum numero, ubi particula hoc sensu ponitur. Nam in libro de coniurat. Cat. plus quam tricies inveni: 20, 5. 23, 1. 25, 1. 25, 3. 25, 4. 31, 7. 32, 1. 36, 1. 39, 1. 41, 1. 43, 2. 44, 1. 48, 5. 49, 1. 50, 3. 51, 10. 52, 5. 9. 24. 53, 2. 5. 6. 56, 3. 4. 57, 1. 5. 58, 3. 60, 1. 61, 1.

Ceterum assentiendum est eidem viro doctissimo, qui ad Cat. 25, 1 adnotat: „*Dem aufmerksamen Leser wird nicht entgehen, dass die übermässige, wir müssen gestehen, dem guten Style zuwiderlaufende Anwendung des Wörtchens, als Uebergangspartikel, im Katilinischen Kriege viel häufiger und auffallender ist, als im Iugurthinischen, und dass man durchaus eine gewisse Nachlässigkeit des Schriftstellers darin erkenne.*“ Etenim has particulas Graecorum linguae aptissimas ad continuandas sententias apud Latinos orationem simplicem et exilem efficere quis non videt?

Brevitas amborum cernitur etiam in generibus loquendi duobus contrahendis. Quod inprimis pertinet ad praepositionum usum, maxime ἐς et In. Legitur in oratione funebri, quam accuratissime Sallustium legisse et animo ambibisse ex multis indiciis conicere possumus, 2, 37, 1: ὄνομα μὲν διὰ τὸ μὴ ἐς ὀλίγους ἀλλ' ἐς πλείονας οἰκεῖν δημαχρατία κέκληται, ubi planius scripsisset: διὰ τὸ μὴ ἐς ὀλίγους — ἧχειν (quod complures libri exhibent

καὶ οὕτως οἰκεῖν hoc sensu: res publica libera vocatur quod non ad paucos sed ad plures pertinet itaque administratur, vel ut Mollmannus intellegit: „res publica sic administratur, ut non ad paucos omnia commoda referantur sed omnium utilitatibus inserviatur.“ Similem contractionem inesse videmus in Sallustiana dictione (hist. 1, 45): „Etruria omnis — suspecta in tumultum erat,“ (quae Kritzius explicat „Etruria suspecta erat proclivis esse ad tumultum excitandum“) similem in vocibus „in maius celebrare“ (Iug. 73, 5) „in maius audire“ (hist. 2, 70) „in maius componere“ (hist. 3, 60) „in detevius componere“ (fragm. inc. 78). Patit enim haec contracta esse ex verbis „in mains augendo celebrare“ „in maius aucta audire“ etc., cum notio augendi in his locutionibus lateat, quas Thucydideas esse iam Poppo animadvertit, qui comparat: ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμῆσαι, quod frequens est apud Thucydidem (1, 10, 2. 1, 21, 1. 6, 34, 7. 83, 3).

Huc pertinet locus sane insignis hist. 1, 13: „Omnium partium decus in mercedem conruptum erat“ ubi Arusianus explicat: „in illam rem pro causa illius rei.“ Sed haec plane a consuetudine latina recedere intellegendaque esse ex usu Thucydideo puto.. Nam ut dixit: ἡ πολιτεία ἐς ὀλίγους οἰκεῖ, quae tali fere modo explicanda esse vidimus: „r p. ita administratur ut penes paucos potentia sit“ ita legimus 8, 38: τῆς ἄλλης πόλεως κατ' ἀνάγκην ἐς ὀλίγον κατεχομένης (ubi Scholiasta: ἀναγκάζομένης ὀλιγαρχεῖσθαι) i. e. „cum reliqua urbs impelleretur ut paucis imperium traderet“ et 8, 53: εἰ μὴ ἐς ὀλίγους μᾶλλον τὰς ἀρχὰς ποιήσομεν i. e. nisi magistratus ita constituimus — ut in paucorum manibus sint cf. Goeller. ad hunc locum. Ad talem consuetudinem crevîter loquendi Sallustium se applicuisse etiam nostro loco perspicuum est itaque hanc vim in illis verbis inesse cum Gerlachio puto: „partium decus corrupit ut suis mercedem solveret,“ ita ut voce „in mercedem“ non causam sed finem potius significari existimem. Quo brevitatis exemplo haud scio an nullum apud Sallustium exstet insignius.

Latissime haec breviloquentia apud Thucydidem patet

Dictione „bellum sumere“ (Iug. 20, 5. 62, 9. 83, 1, hist. 1, 48, 2. 4, 61, 5) non Graecum „πόλεμον αἴρεσθαι“ expressum esse, ut censuerunt Poppo (I, 1, p. 374) et Walchius (ad Agricol. 16), demonstravit Kritzius ad. Iug. 20, 5.

Nimis longe sententia Popponis (p. 374) petita mihi esse videtur, qua censet, particulas „Tum demum, Tum vero,“ quibus apodosis post coniunctiones Posteaquam, Cum, Si, maiore vi effertur, scriptorem arripuisse ex Thucydideo usu vocum τότε δή, ἐν ταῦθα δή, οὕτως δή, post ἐπεὶ similesque particulas cf. Kritzium ad Cat. 51, 40. 61, 1. Iug. 106. Similitudinem quandam sed nullam imitationem in his inesse contenderim.

Ad particularem autem usum pertinet locus plane ad Graecorum morem conformatus Iug 107, 4: „Igitur simul consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant.“ Usus autem apodosin per particulam Et incipiendi quantopere Graecam originem prodat, vix opus est admonere, si reputamus, quotiens apud illos structura ἅμα — καὶ adhibita sit cf. Kritzium ad l. l. Thucydidi autem hanc particulam initio apodos eos usurpare est usitatissimum: 2, 93, 4. 4, 8, 9. 5, 27, 1. 7, 60, 3. 75, 1. 8, 1, 4. 8, 4.

Ut paucis quae invenimus complectamur, hoc orit dicendum: Facile est apud Sallustium Graecismos invenire, difficillimum autem comprobare, num dedita opera a scriptore Thucydidis aliquod dicendi genus imitatione expressum sit. Etiam apud nos saepe fieri videmus ut, si quem scriptorem diu et diligenter legerimus, eius dicendi consuetudo ita nobis in sucum et sanguinem transeat, ut paene nescii eius verbis, eius sententiis, eius more loquendi utamur. Ita multis locis, ubi similitudinem quandam inter ambos scriptores observavimus, minime contendere voluimus, semper exemplum huius animo illius obversatum esse. In universum autem ex iis, quae collegimus, hoc conicere possumus: imitatio magis cernitur in singulis rebus grammaticis constructionibusque quam in tota indole Sallustii orationis (si excipis orationem variatam). Etenim